

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Martini Chemnitii, Doctoris Theologi celeberrimi, Harmonia Quatuor Evangelistarum

Quam ab Eodem feliciter inchoatam ... D. Polycarpus Lyserus, et D.
Johannes Gerhardus, ... Is quidem continuavit, Hic perfecit ; Opus
Eruditionis Stupendæ, Orthodoxorum consensu approbatum, idemque tot
Eruditorum desideriis adhuc expetitur

**Chemnitz, Martin
Leyser, Polycarp
Gerhard, Johann**

Hamburgi, MDCCIII

VD18 90617681

Caput CIX. Continens Convivium Apud Pharisaicum et Convivii Illius
Disputationes. Lucae. 11. vers. 37.

urn:nbn:de:gbv:45:1-18203

turali sua ratione & intellectu ducitur, non possit videre ea, quæ sunt Spiritus DEI, stultitia enim ipsi sunt, nec potest intelligere. 1. Cor. 2. v. 14. DEUS igitur nobis cœlitus accendit lucernam verbi sui, per filium, qui & ipse in scripturis lucerna David Psalm. 131. v. 17. dicitur, cujus virtute evertit regnum satanæ, quod est regnum tenebrarum, cujus luce discutit tenebras mundi, cujus operatione intellectum nostrum, in fœdissimo ignorantia & cupiditatum cœno sese volutantem, illuminat, & officit, ut illius lumine videamus lumen ejus, apud quem est fons vitæ. Psal. 36. vers. 10.

Permoveere nos hoc debet, ut verbi divini studiosi simus. Siquidem per hoc regeneratio nostra inchoatur, quam totius vitæ innovatio sequitur, & si verbi gubernationem admittamus, pietas per omnes actiones sese exerit, donec tandem in gloriam DEI & nostri salutem ita perficiamus, ut deposito anigmatis fœdum, à facie ad faciem Deum videamus. 1. Cor. 13. v. 12. Caveamus autem ne quicquam hic liberi nostri arbitrii viribus ad-

scribamus, quod aliqui faciunt, qui ex illa sententia, *lucerna corporis est oculus*, inferunt, lucerna animæ est intellectus. Hoc de intellectu renovato concedi potest, de naturali non item. Neque enim Christus frustra hac similitudine oculi usus est. Quemadmodum enim oculus habet quidem facultatem videndi, eam tamen exercere non potest, nisi lux accedat, quæ aerem, per quam oculus videt, illuminat: ita licet homo intellectu præditus sit, in divinis tamen & cœlestibus rebus nihil videt, nihil sapit, nihil intelligit, nisi divina gratia & lux accedat, quæ illa patefaciat, & mentem ad percipienda ea idoneam faciat. Rursus autem, quemadmodum homo oculos ad lucem oblatam claudere potest, unde nihilo plus videt quam cæcus: ita multi mentem obdurant & excæcant erga oblatam veritatem. Id quod etiam Judæi in præsentī historia fecerunt. Illi justè damnantur: Et ne idem nobis accidat,

Christus hac *παραίνεσις* nos monet.

CAPUT CIX.

CONTINENS CONVIVIIUM APUD PHARISÆUM
ET CONVIVII ILLIUS DISPUTATIONES.

LUCÆ 11. vers. 37.

RATIO ORDINIS.

Quia Lucas ipse hanc historiam præcedenti his verbis, *ὅτι δὲ τῶν λαλιῶν αὐτοῦ, ὅτε ἐπελάλει αὐτῷ, ἵνα συνησθῆται*, cum loqueretur, annectit, omnino consecutionem ordinis ipse monstrare videtur. Et licet quis excipere queat, non necessario significari, statim post priorem disputationem hoc convivium secutum esse, si quidem Lucas non dicat, & cum *hæc* loqueretur: quia tamen nec in Luca nec in reliquis Evangelistis quicquam monstrari potest, quod commodius ad priorem disputationem sequatur, cur dubitationum anfas ipsi captabimus in iis, quæ per se sunt plana & aperta? Lutherus satis perspicue reddidisse videtur: Da Er aber in der Rede wate / quasi innueret, priorem sermonem nondum absolutum fuisse, & mox Pharisæum ipsum ad prandium invitasse. Neque novum est in historia Evangelica, quod Christus in sabbato mane quidem in synagoga docuit & miracula edidit: sub meridiem autem ad quempiam, qui ipsum invitarat, ad prandium diverterit: finito autem prandio ad laborem docendi & infirmos sanandi redierit. Quod etiam hoc loco factum esse ipsa historiarum consecutio ostendit. Cumque Judæi soliti fuerint sua convivia diebus sabbati instituere, consuetudine introducta ex lege Moïsi, quæ jubet, ut post oblationem sacrificii cum Levita, advena, pupillo & vidua, qui morarentur cum ipsis, epularentur: id eod die sabbati quando ex synagoga domum redibant, amici se mutuo invitabant, & advenas quoque ad convivium adhibebant. Et quia Jesus ab

Harm. Tom. I.

Hierosolymitanis Pontificibus nondum excommunicatus erat, hic quoque *Pharisæus rogavit, ut pranderet apud se*. Nimirum gratiam voluit inire apud populum, quem videbat Christi esse studiosum: sicuti Judæorum primores semper fuere auræ popularis captatores. Interim vero non est vero absurdum, quod etiam propterea Jesum invitavit, quod speravit fieri posse, ut vel in tot doctorum virorum (quos simul invitatos fuisse constat) præsentia aliquid proferret, de quo postea ipsum apud populum traducere possent, vel ipse amicitia prætextu sive blanditiis demulceri possit, ut in posteram aliquanto mitius ipsorum ordinem tractaret.

Dubium ergo est nullum huic convivio & disputationi in eo motæ, hunc locum in Harmonia deberi. Sicuti etiam in ipsa rerum tractatio optimo ordine se invicem sequitur. Nam in præcedenti concione Christo sermo fuit de suo Evangelio & salvifica verbi divini doctrina, quam testatus est lucernam esse, quæ DEUS hominum mentes illuminet, ne in tenebrarum operibus incerti oberent, sed ut potius tam doctrinæ quam purioris vitæ exemplo aliis præluceant. Jam in præsentī convivio per *ἀντιθεσιν* ostendet, falsa doctrina nihil esse perniciosius vel exitialis, siquidem homines à vero DEO abstrahat, ipsius cultum corrumpat, sinceræ religionis studium extinguat,

Dei cultores in hypocritas transformet, suosque auctores ad æternas penas pertrahat.

Ecccc 2 CON-

CONVIVIUM APUD PHARISÆUM, ET DISPUTATIO
IBI MOTA. LUCÆ II.

37. Ἐν δὲ τῷ λαλήσαι, ἠρώτα αὐτὸν Φαρισαῖός τις ὅπως ἀμύσησθαι αὐτῷ εἰσελθὼν δὲ ἀνέπεσεν.
38. Ο δὲ Φαρισαῖος ἰδὼν ἐθαύμασεν ὅτι ἐ πρότον εἰσπλῖσθαι πρὸ ἑ ἀρίστου.
39. Εἶπε δὲ ὁ κύριος πρὸς αὐτὸν. Νῦν ἡμεῖς οἱ Φαρισαῖοι τὸ ἔξωθεν ἔ ποτηρίου καὶ ἑ πίνακος καθαρῖστε τὰ δὲ ἐξωθεν ὑμῶν γέμει ἀεργαγίας καὶ πανηρίας.
40. Ἄφρονες, ἐχ ὁ ποιήσας τὸ ἔξωθεν, καὶ τὸ ἐξωθεν ἐποίησε;
41. Πλὴν τὰ ἐνόντα δότε ἐλεημοσύνην καὶ ἰδὲ, πάντα καθάραι ὑμῖν ἐσιν.
42. Ἄλλ' εἰ ὑμῖν τοῖς Φαρισαῖοις, ὅτι ἀποδεκατῆτε τὸ ὕδηοσμον καὶ τὸ πῆγανον καὶ πᾶν λαχρον; καὶ παρέρχεσθε τῇ κρίσει καὶ τὴν ἀγάπην ἑ Θεοῦ ταῦτα ἰδεῖ ποιήσαι, κικεῖνα μὴ ἀφίεναι.
43. Οὐαὶ ὑμῖν τοῖς Φαρισαῖοις, ὅτι ἀγαπᾶτε τὴν πρωτοκαθεδρίαν ἐν ταῖς συναγωγαῖς, καὶ τὰς ἀσώματους ἐν ταῖς ἀγοραῖς.
44. Οὐαὶ ὑμῖν γραμματεῖς καὶ Φαρισαῖοι ὑποκριταί, ὅτι ἐσὲ αἷς τὰ μνημεῖα τὰ ἀθάλα, καὶ οἱ ἀνδρῶποι περιπαταῖτες ἐπάνω ἐκ οἰδασιν.
45. Ἀποκριθεὶς δὲ τις ἑ νομικῶν λέγει αὐτῷ, Διδάσκαλε, ταῦτα λέγον καὶ ἡμεῖς ὑβρίζεις.
46. Ὁ δὲ εἶπε, καὶ ὑμῖν τοῖς νομικοῖς εἰαί, ὅτι φορτίζετε τὰς ἀνδρῶπους φορτία δυσβάστακτα, καὶ αὐτοὶ ἐν τῶν δακτύλων ὑμῶν ἐ προσβάουετε τοῖς φορτίοις.
47. Οὐαὶ ὑμῖν, ὅτι οἰκοδομεῖτε τὰ μνημεῖα ἑ προφητῶν, οἱ δὲ πατέρες ὑμῶν ἀπέκλειναν αὐτούς.
48. Ἄρα μαρτυρεῖτε καὶ σινευδοκεῖτε τοῖς ἔργοις ἑ πατέρων ὑμῶν, ὅτι αὐτοὶ μὲν ἀπέκλειναν αὐτούς, ὑμεῖς δὲ οἰκοδομεῖτε αὐτῶν τὰ μνημεῖα.
49. Διὰ τῆτο καὶ ἡ ἑρφία τῷ Θεῷ εἶπεν, ἀποσελῶ ἐς αὐτούς προφήτας καὶ ἀποστόλους, καὶ ἐξ αὐτῶν ἀποκλειθεῖς ἑ ἐκδιώξασιν.
50. Ἴνα ἐκζητηθῇ τὸ αἷμα πάντων ἑ προφητῶν, τὸ ἐκχυμῶμενον ἀπὸ καταβολῆς κόσμου, ἀπὸ τῆς γενεῆς ταύτης.
51. Ἄπὸ τῆ αἱματῶ Ἄβελ ἕως τῆ αἱματῶ Ζαχαρίας, τῆ ἀπολόμενος μεταξὺ τῆ θυσιαστηρίου καὶ τῆ οἴκου, καὶ λέγω ὑμῖν, ἐκζητηθήσεται ἀπὸ τῆ γενεῆς ταύτης.
52. Οὐαὶ ὑμῖν τοῖς νομικοῖς, ὅτι ἤρατε τὴν κλεῖδα τῆς γνώσεως, αὐτοὶ ἐκ εἰσήλθετε, καὶ τὰς εἰσερχομένους ἐκωλυσατε.
53. Λέγοντῶ δὲ αὐτῆ ταῦτα πρὸς αὐτούς, ἤξαντο οἱ νομικοὶ καὶ οἱ Φαρισαῖοι δεινὸς ἐκέχρειν, καὶ ἀποσοματίζεν αὐτὸν περὶ πλεονῶν.
54. Συνδρεύοντες αὐτὸν, καὶ ζητῶντες θηρεύσαι τε ἐκ ἑ 56-μαίῶ αὐτῆ ἵνα κατηγορήσασιν αὐτῆ.
37. Et cum loqueretur, rogavit illum quidam Pharisaeus, ut pranderet apud se: ingressus autem accubuit.
38. Pharisaeus autem cum vidisset, miratus est, quod non prius lavisset ante prandium.
39. Et ait Dominus ad illum, nunc vos Pharisaei exteriora poculi catinique mundatis, & quod intus est vestri, plenum est rapina & malitia.
40. Stulti, nonne qui fecit, quod foris est, etiam id quod intus est, fecit?
41. Veruntamen quod superest date eleemosynam, & ecce omnia munda vobis sunt.
42. Sed vae vobis Pharisaeis, quia decimatis mentam & rutam, & quodvis olus, & prateritis iudicium & charitatem Dei. Imo haec oportuit facere, & illa non omittere.
43. Vae vobis Pharisaeis, quia diligitis primas cathedras in synagogis, & saluciones in foro.
44. Vae vobis Scribae & Pharisaei hypocrite, quia estis ne monumenta, que non apparent, & homines ambulantes super ea nesciunt.
45. Respondens autem quidam ex legisperitis, ait illi: Magister, haec dicens etiam nos afficis contumelia.
46. At ille ait: Et vobis legisperitis vae, quia oneratis homines oneribus, que portare non possunt, & ipsi uno digito vestro non attingitis sarcinas.
47. Vae vobis, quia edificatis monumenta prophetarum, patres autem vestri occiderunt illos.
48. Profecto testamini, quod comprobatis factum patrum vestrorum, quoniam illi quidem eos occiderunt, vos autem edificatis eorum sepulchra.
49. Propterea & sapientia Dei dixit. Mittam ad illos Prophetas & Apostolos, & ex illis occident, & persequentur.
50. Ut requiratur sanguis omnium prophetarum, qui effunditur a constitutione mundi, a natione ista.
51. A sanguine Abel, usque ad sanguinem Zachariae, qui periiit inter altare & adem. Profecto dico vobis, requiretur ab hac natione.
52. Vae vobis legisperitis, quia tulistis clavem sapientiae, ipsi non introibitis, & eos qui introibant, vetistis.
53. Cum autem haec ad illos diceret, ceperunt legisperiti & Pharisaei graviter insistere, & captiose interrogare eum de multis.
54. Insidiantes ei, & querentes aliquid venari ex ore eius, quo accusarent eum.

Periocha hujus Historia.

Occasio totius disputationis pramittitur, qua fuit invitatio Pharisei ad prandium, & Christi illoti accubitus. 1. Quod Phariseus Christum, professione & vita genere à se dissidentem, humaniter invitat & amice suscipit, exemplum est hospitalitatis. Etli autem ex omnibus circumstantiis, & ex eventu ipso, manifestum evadit, quod non bono animo id fecerit, sed illo fine, ut quem hæcenus in publicis congressibus invictum deprehendisset, eum in privato sermone, una cum aliis, facilius vinceret. Unde nusquam in hac historia indicatur, quod in certamine cum legiseritis & phariseis, ipse tanquam hospes, Jesum juverit. Tamen decet verè pios exemplum hospitalitatis imitari, animum autem fraudulentum vitare.

2. Christi etiam facilitas notatu digna est, quod preces Pharisei non aspernatur, sed invitatus eum accedit. Omnibus nimirum se facilem præbuit, quo omnes alliceret. Neque verò suo exemplo docere voluit, ut & nos faciles simus ad sectanda convivia in religione dissidentium. Sicuti multi inveniuntur, qui Episcopales lautitias & Pontificales mensas satis accuratè ultro sectantur, sicque seculi hujus amicitiam, opes & honores, cum magno salutis suæ periculo aucupantur. Sed potius præmonstrare voluit, quatenus eorum, qui in religione à nobis dissident, convivia adire liceat, si ipsi singularem benevolentiam præ se ferentes humaniter nos invitent. Non ut illis adulemur, multo minus ut in ipsorum gratiam aliquid de doctrina veritatis ipsis concedamus, vel ad quasvis illorum calumnias & blasphemias sileamus: sicuti multorum cerebrum nidore culinæ Papiæ ita oppletur, ut omnes ipsorum sensus hebetentur, & nec videant nec audiant, quæ illi saniori doctrinæ adversa committunt. Sed tantum eo fine ipsos non aversemur, ne animis potius & voluntate, quam sententiis ab ipsis dissentire, neve personas ipsorum magis quam errores odisse, aut superbibus quenquam fastidire videamur. Christus enim talis est convivator apud Phariseos, ut ab ipsis minimè corrumpatur, nec ab officio suo recta monendi & docendi quicquam intermittat, quin potius dat operam, ut iusta severitate ipsorum errores & vitia taxando, eos intra veritatis semitam reducat. Eodem ergò modo Christus Phariseos accessit, quo medicus non averfatur eos, qui ex variis & periculosis morbis decumbunt. Tales medicus adit, non quidem ut ex contagio sibi ipsi quoque morbum accersat, aut suis blanditiis ægri morbum augeat; sed ut manum medicam adhibeat. Unde non tantum seipsum idoneis antidotis præmunit; sed etiam variis pharmacis, unctionibus & potionibus tam dulcibus quam amaris, ægrotum à morbo suo liberare studet. Sic Christus re ipsa commonstrare voluit, se intrepidum esse cum adversariis suis congregandi, non tantum in publico ubi populi circumfusi studia ipsum juvare videntur, sed etiam privatim inter

medios hypocritas. Si consimili fine etiam verbis minister aut alius quispiam pius Christianus, à non manifestè blasphemis in doctrina dissidentibus invitatus, eos accedat, id ipsi vitio verti non debet: modo caveat, ne cuiquam sine causa scandalum præbeat, aut præ se ferat, quasi velit *intra-Phariseos* & in utrumque latus claudicare: quod DEO adversum esse Elias testatur. 1. Regum. 18. vers. 21.

3. Christus ergò domum Pharisei ingressus, illico accubuit, etiam illotus. Cur verò hoc fecit? cum non potuerit ignorare, futurum ut & Phariseus hospes & reliqui convivæ offenderentur. Nam de crebris ablutionibus Phariseorum superius copiose actum est in LXXIX. cap. Harmoniæ, ex cap. 7. Marci. Cum ergò Christus ipse Matth. 18. v. 7. tam severe suis injunxerit de sollicitè cavendo scandalo: cur non ipse quoque doctrinam suam observavit? Etenim mox Phariseus, cum id vidisset, miratus est. Hæc admiratio cum offensione fuit conjuncta. Tale enim est superstitionis & præposteræ religionis ingenium & natura, ut sanctitatem collocet in externis rebus, quæ tamen nihil ad sanctitatem faciunt, & mox offendatur atque scandalizetur, perversa item judicia & sinistras suspiciones suscipiat de iis, qui illas negligunt. Hoc Christus non ignorans, studiosè occasionem captavit, hoc factò & ipsos Phariseos & populum, qui ab eorum autoritate adhuc dependebat, ab ista superstitione, liberandi, quos jam ante Matth. 5. v. 3. de eadem superstitione quoque monuerat. Equidem tradiderat Moses Israelitis Num. 19. v. 9. certum ritum, quomodo ex cineribus immolatae juvenæ rufæ, quæ absque macula & jugi expers fuisset, aquam lultralem conficere, seque aspergendo mundare deberent. Sed fuit illa, ut Epistola ad Hebr. 9. v. 13. docet, tantum typus, quo DEUS populum voluit attentum reddere, ad fordes suas propius attendendas, ut intus puri essent, & sedulo circumspicerent, ne aliunde inquinarentur. Simul etiam admonuit, quoties labe aliqua affecti essent, expiationem aliunde, nimirum à sacrificio & aspergione divinitus faciendâ, petendam esse. Hac de causa David peccato adulterii & homicidii inquinatus, Dominum precatur, Psal. 51. v. 9. Asperges me hyssopo, & mundabor: lavabis me, & super nivem dealbabor. Sicuti Epistola ad Hebr. 9. v. 14. hunc typum explicat, quod sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulerit immaculatum DEO, mundet conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum DEO viventem. Hoc pharisei non attendentes, omnem sanctimoniam in externa illa ablutione, quam magno & mirifico studio urgebant, collocabant, internam animi puritatem & vitæ innocentiam, maximè eam quæ fieri debebat, fidem in venturum Messiam, securè negligentes: simulque proximum, qui non easdem ceremonias observaret, inique traducens. Ideò nimis verè eos Christus *Quos phariseos hic vocat.* Ut

Ecccc 3

Ut

Ut enim verè est populus *σοφός* sapiens & intelligens is, qui novit quæ sunt veræ fidei & religionis erga DEUM, & juris atque charitatis erga proximum, Deut. 4. v. 6. eaque ex sincero corde perficit: ita vicissim sunt *ἀσφοδες, ἠσροποι*, Deut. 32. v. 6. & *ἀνοήτοι*, Luc. 24. v. 25. *stulti* & amentes illi, quicunque ex cordibus amisso & relicto sincero DEI verbo in inanibus & externis ceremoniis verum DEI cultum quærunt. Proinde Christus hic Phariseis, sermone ex re præsentis desumpto, objicit, quod tantum puritati & mundicie externæ studeant, quo hominibus placeant: internam autem animi & conscientiæ puritatem, quam DEUS respicit, negligant, perinde ac si nihil ipsis negotii cum DEO esset.

Nunc vos Pharisei exteriora poculi catinique mundatis, & quod intus est vestri, plenum est rapina & malitia. *Nunc nunc*, est hoc loco particula expletiva: sicuti nos Germani utimur vocula *Nun*; habet tamen etiam vim acriter pungendi. Addit, *vos Pharisei*: non tantum præsentis in convivio personas, sed totum Pharisæorum ordinem notare volens. His, qui omnium sanctissimi & sapientissimi haberi volebant, conjunctim objicit non tantum stultitiam & insipientiam, sed etiam *rapinam & malitiam*. *Rapinam*, quia iniquis artibus ditescabant, sub prætextu longarum precationum domos viduarum devorabant. Matth. 23. v. 14. omnia denique ipsorum studia nihil nisi lucrum spectabant. Idem ergo Dominus ipsis objicit, quod olim Jesaias Judæis. 3. v. 14. rapina pauperis est in domo vestra. Et Amos 3. v. 10. thesaurizantes iniquitatem & rapinas in ædibus suis. *Πονηρίαν malitiam affectaram*: quia veritatem oblatam & agnitam malitiose excutiant, admoniti nolint emendari, quin potius correpti de malo in improbitate sua pergere velint. De hisce duobus vitiis ex corde expurgandis, ipsos monet: siquidem eorum olim DEO rationes reddituri sint. Ideò addit: *Nonne qui fecit quod foris est, etiam id quod intus est fecit?* Sicut eos quasi coram judicio DEI, qui tum corpus tum animam creavit, & hominem juxta utrumque purum & mundum esse vult. Vult ergo dicere: cum propter DEUM & religionem tam diligentem curam mundandi corporis habeatis: cur non pari diligentia animo mundando incumbitis, cum utraque à DEO sint condita, & anima & corpus. Imò animæ puritas magis necessaria sit, quam corporis. Hujus enim mundicies nos hominibus, illius verò puritas nos DEO commendat.

Proinde Christus explicato Pharisæorum morbo remedium jam adhibet: nimirum rapinæ & sceleris, quæ magis quam illotæ manus impediabant quo minus purè vesci possent, opponit charitatem erga pauperes, qua futurum sit, ut sanctificetur id, quod intra patinam est, etiam si patinæ extrinsecus non sint ablutæ. Quemadmodum ergo Dan. 4. v. 24. regem Babylonium monet, ut peccata sua redimat eleemosynis, hoc est, ut rapinas illas, quibus tot regiones populatus fuerit, beneficentia erga pauperes penset: ita Christus exigit, ut Pharisei de eo quod superest, dent eleemosynam, & reliqua munda futura esse affirmat. D. Hieronymus & alii quidam accipiunt hanc sententiam Ironice, quasi Christus Pharisæos increpando sic diceret: Vos Pharisei cum sitis pleni iniquitate, cum rapi-

næ & turpi lucro studeatis, exteriorem mundiciem curatis & simul in eleemosynam erogatis, quæ per fas & nefas aliis abstulistis: quæ duo sufficere putatis, ut omnia in vobis munda reddantur, cum revera immunda & defœdاتا remaneant omnia. Hanc enim Pharisæorum sententiam fuisse opinantur, quod per eleemosynam vitia omnia, superbia, ambitio, rapinæ, invidia & iniquitas contegantur. Sed potest hic sermo Christi commodè simpliciter, sine ironia, accipi, ut sit exhortatio ad dandam eleemosynam & ad beneficentiam erga pauperes, quæ sit medium, per quod (sicut etiam per precationem & gratiarum actionem 1. Tim. 4. v. 4.) externus rerum hujus seculi usus, nobis purificatur & quasi licitus redditur. Vocula itaque *πάντα omnia* non est latius extendenda, quam quoad præsentem materiam, sicut etiam D. Basiliius notavit. Nam referri debet ad *τὸ ἐξωθεν*, ad illa quæ forinsecus sunt. Hæc καὶ περιζήτηται seu purificantur, si eleemosyna de iis detur. Non autem referatur ad *τὸ ἐσωθεν* quæ intus sunt. Hæc enim aliam purificationem requirunt.

Ad meliorem ergo hujus loci intellectum, & ne quis eo abutatur adversus sanam doctrinam de justificatione hominis peccatoris coram DEO, notandum est, Apostolos, & inprimis Paulum ex hoc Christi loco occasionem sumsisse hominem distinguendi, in *τὸν ἐσω* vel *ἐσωθεν*, in interiorem, & *τὸν ἐξω* vel *ἐξωθεν* exteriorem hominem, Rom. 7. v. 22. 2. Cor. 4. v. 16. & Eph. 3. v. 16. D. Petrus interiorem hominem vocat *τὸν καρπὸν τῆς καρδίας ἀνθρώπου* occultum cordis hominem. Ubi per externum hominem uterque Apostolus intelligit, non veterem illum carnalem & peccato corruptum, sed ut ita loquar, brutum quasi hominem, quatenus is vegetativa, sensitiva & locomotiva anima, quæ facultates ipsi cum brutis communis sunt, sustentatur: paulatim autem homo ille labore & ætate atteritur, donec tandem plenè absumatur. Interiorem autem hominem intelligunt non tantum rationalem, sed & eum, qui spiritu Domini est instauratus, & ejus gratia quotidie magis magisque ad imaginem DEI renovatur, fitque potentior ac valentior. Uterque homo indiget purificatione. Nam quis videbit DEUM? aut quis stabit in loco sancto ejus? nisi qui mundo & puro est corde, hoc est, qui mundus est secundum interiorem hominem. Psal. 24. v. 4. & Matth. 5. v. 8. Interior autem homo non purificatur externis ablutionibus, sed per fidem in Christum, qui per rufam vaccam in Mose fuit præfiguratus. Sic enim Petrus Actor. 15. v. 9. in Hierosolymitano Concilio dixit: DEUS clementer per verbum dans Spiritum suum gentibus, fide purificavit corda ipsorum. Quando enim fides apprehendit meritum Christi filii DEI tum sanguis ejus emundat hominem ab omni peccato. 1. Johan. 1. v. 7. adeo ut si peccata nostra essent ut coccinum, quasi nix dealbarentur: & si essent rubra, quasi vermiculus, velut lana albefcerent. Jesaiæ 1. v. 18. Hæc mundicies nobis applicatur per verbum & sacramenta, ejusque initium fit in sacramento baptismi, in quo effunditur super nos aqua munda, ut mundemur ab omnibus inquinamentis, & ab universis idolis nostris Ezech. 36. v. 25. In Christo JESU enim est fons patens domui David & habitatoribus Jerusalem, in ablu-

ablutionem peccatoris & menstruata. Zach. 13. v. 1. Postea continuatur per fidem, quæ alitur auditu verbi & communione corporis & sanguinis Christi in sacra cœna. Et qui hoc modo à Christo lotus est, is totus mundus est. Johan. 13. v. 10. De hac interiore mundicie Christus propriè hic non agit. Illa enim, ut jam demonstratum est, non in elemosynis aut aliis externis operibus, sed in fide in Christum consistit.

Est autem deinde quædam exterior mundicies, quæ tamen ex interiore profluit, & ejusdem sive index sive testis est. Et hæc consistit in operibus charitatis atque misericordiæ, quoad externa hujus mundi bona & amplas terrenas opes. Hæc raro in hoc mundo, sine injustitia, usuris, vi & rapina congeruntur. Hinc etiam vulgata sunt dicteria: *ὄφις ἢ ἡ ὄφρα ἢ ὄφιν, δράκων ἢ γεννησεται.* Nisi serpens serpentem devoret, non fit draco. Potentes nimirum aliorum damnis crescunt, & optimatum fortunæ non in tantum auferuntur, nisi essent quos exurgerent. Et: Omnis dives aut est iniquus, aut iniqui hæres. Unde etiam à Christo divitiæ dicuntur Mammon *τῆς ἀδικίας* iniquitatis, Luc. 16. v. 9. Hic ergo queritur: si quando alicujus Majores, vel ipse quispiam, antequam se in eo peccare agnoscat, magnas per fas & nefas comportasset opes, postea verò Spiritus sancti gratia illuminatus agnosceret, tales divitias per rapinam & injustitiam esse coinquinatas, ita ut bona conscientia iis uti non possit, quid facere debeat, ut externus illorem bonorum usus sibi sit licitus & mundus? Hæc ulitata est responsio, singulis sua, quæ ipsis sunt ablata, esse restituenda. Juxta dictum Augustini: Furtum non dimittitur, nisi ablatum restituatur. Sicut etiam Zachæus Christo dixit: si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum. Sed hoc non semper fieri potest. Siquidem interdum illi, quibus facta est injuria, vel sunt mortui vel ignoti: interdum si illi noti essent, quispiam ad ultimum teruncium ulque seipsum spoliare cogere. Si olim Imperatores restituere debuissent opes, quas ipsorum Prædecessores ex toto orbe per vim & bella, pleraque etiam injusta, convexere, imperium non suffecisset. Hic ergo ulterius queritur, quid in tali casu sit faciendum ut conscientia tranquilla reddatur? Ibi Christus paucis respondet: *τὰ ἐνόητα*, quæ dictio à Græcis exponitur per *τὰ ὑπόροητα*, id est, *ea quæ adsunt*, & quæ habetis, *date in elemosynam*. Quidam exponunt *τὰ ἐνόητα licita*, & quæ in hominis sunt potestate: ut derivetur ab *ἐνεστ*, quod significat licere. Sed sensus in idem recidit. Nimirum Christus vult dicere: si quis aliena injustè ad se transulisset, nec tamen eadem vel ipse restituere, vel ab aliis ad restitutionem politicè adigi posset, tum ipsum propria, quæ jam possideat, in elemosynam enlargiri debere, tum *munda fore omnia*, hoc est, etiam residuorum possessionem & usum ipsi licitum fore. Quod si verò interior mundicies præcedat, & hæc exterior subsequatur, tum res tanto magis erit plana. Quia mundis munda sunt omnia. Tit. 1. 15.

Prorsus itaque consentit hæc doctrina Christi cum consilio, quod propheta Daniel communicavit regi Nabuchodonosori, quando c. 4. v. 24. inquit: redime peccata tua elemosynis, & ini-

Harm. Tom. I.

quitates tuas misericordiis pauperum. Non vult Propheta ibi docere, quæ ratione peccata coram DEO sint redimenda. Illa enim non corruptibili auro & argento redimuntur, sed precioso sanguine immaculati & incontaminati agni Christi. 1. Petr. 1. v. 18. Sed quia rex Nabuchodonosor multis bellis à se gestis, diversas gentes subjugarat, domi forisque multos ad paupertatem adegerat, donec splendidissimas orbis opes per Babylonem comportaret, ibique primum Monarchiam constitueret, quam satis superbè & cum multorum oppressionem confidenter gubernabat. Ideo monet cum Propheta, ut si pœnam commertam avertere, & bonis à se partis quiete uti fruique velit, agat pœnitentiam, & truculentum suum animum, quo hæcenus ad opprimendos alios usus fuisset, in beneficentiam erga pauperes convertat, sic futurum, ut ipse non de gradu dignitatis & majestatis, quod somnium visum ei minabatur, dejiciatur, sed imperium orbis à DEO concessum, ulterius propagetur, & quasi licitum fiat. Hoc consilium Christiani Imp. Constantinus, Carolus Magnus & ipsorum similes secuti esse videntur. Qui & ipsi magna bella gesserunt, multos opprimerunt, immensas opes congeserunt, in quibus bellis impossibile est quin multis bonis & innocentibus vis fuerit illata, qui bonis suis præter jus & æquum sunt exuti. Sed iidem principes bello finito, & pace reparata, quoniam non omnibus bona amissa restituere poterant, DEO & pauperibus elemosynas dederunt, Ecclesias amplissimis redditibus dotarunt, imperio suo piè & moderate sunt usi, sicque sibi ipsis occupatarum provinciarum usum fructum licitum reddiderunt. Quod ipsum est, *de eo quod super est date elemosynam, & reliqua vobis munda erunt.* Et hæc est prima quæstio in illo pharisaico convivio agitata, quæ agit de vera mundicie hominis tam interioris quam exterioris.

Antequam ad reliquas quæstiones transeamus, lubet hic monere de loco quodam Augustini, ubi & ipse hanc Christi sententiam de elemosynis tractat, in Enchiridio ad Laur. cap. 70. & aliquot sequentibus. Ibi diserte dicit, non esse existimandum, quod crimina, de quibus scripturæ dicunt, quod ea agentes regnum DEI non possidebunt, si quotidie perpetrentur, quotidie etiam elemosynis redimi possint. Nemini enim laxamentum dari peccandi. Sed vitam in melius esse mutandam, neque per elemosynas ad hoc quasi emendum esse DEUM, ut peccata liceat impune committere. Si quis verò jam sit DEO patri reconciliatus, atque ex aqua & Spiritu sancto regeneratus: tum ipsum fidei oratione quotidiana peccata & lapsus delere posse. Maxime, si non tantum oret: & dimitte nobis debita nostra: sed etiam alterum præstet, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Siquidem etiam hoc elemosyna sit, homini veniam petendi ignoscere. Nam, dicit, non solum dat elemosynam, qui dat esurienti cibum, sitienti potum, nudo vestimentum, peregrinanti hospitium, fugienti latibulum, agro vel incluso visitationem, captivo redemptionem, debili subvectionem, cæco deductionem, tristi consolationem, non sano medicinam, erranti viam, deliberanti consilium, & quod cuique

Eeeee 4

Cuique necessarium est indigenti : verum etiam qui veniam dat peccanti, qui emendat verberare in quem potestas datur, & qui coercet aliqua disciplina, & qui corripit, & aliqua emendatoria pœna plectit, eleemosynam dat, quia misericordiam præstat. Hæc Augustinus. Et si quis integrum locum per multa capita inspiciat, inveniet ipsum nequaquam statuere, quod per eleemosynas interior peccatorum mundatio perficiatur : sed debere hoc præcedere, ut quis animæ suæ misertus, DEO reconcilietur & placeatur, tum eleemosynas etiam DEO gratas futuras.

II. Alterum membrum, quod in Pharisaico illo convivio tractatum est, fuit de decimatione. Quod membrum, ut & sequentia, Christus non simplici orationis genere prioribus subjicit, sed addita particula *ve*, hoc est, cum denunciatione gravissimarum calamitatum, nisi à transgressionibus suis desistant. Objicit autem ipsis, quod *decimas dent de mentha, ruta & quovis oleris*, interim præcipua legis negligant, *judicium & charitatem Dei*. *Mentha* olim Græcis *μίνθη* dicta fuit, à Minthe Coccyi filia, de qua Poetæ fabulati sunt, eam cum Plutone comprehensam, in hanc herbam, à Proserpina commutatam fuisse. Postea commutato nomine hæc verba, ut & hic à Luca, *ἡδύσμη* propter odoris suavitatem dicta est. *Rutha Πηγανον* dicta est à *πήγνη* : quia calida est, & exiccando condensat atque compingit. De hisce duabus speciebus, ut & de omnis generis oleribus, Christus Phariseis objicit, quod eas *deciment*, hoc est, decimam de iis partem aliis tribuant. Nam *δέκατος*, ut & latinum *decimo*, est ambiguum vocabulum, & significat decimas tam exigere, quam dare; pro diversitate personarum, quibus verbum illud applicatur. Quia ergo hic agitur de Phariseis, ex quorum numero ille fuit, qui Luc. 18. v. 12. partem justitiæ suæ coram DEO collocat in eo, quod decimas det omnium quæ possideat. Idcirco hic accipiendum est pro eo, quod *decimas dare*. Siquidem etiam per se ex lege Dei non fuit Phariseorum, sed Sacerdotum & Levitarum, à quorum ordine Phariseorum ordo distinctus fuit, decimas accipere.

Hic querat quis: Num ergo peccatum est decimas dare de omnibus suis bonis, quia Christus Phariseis propterea horridum *ve* denunciat? Aut: Num Pharisei in eo peccarunt, quod in decimatione plus præstitisse videntur, quam DEUS in lege sua exegerat? Etenim DEUS in lege sua certas species rerum, de quibus decimæ sint dandæ & sumendæ, expressisse videtur. Utpote Lev. 27. v. 30. decimas de frugibus, & de pomis arborum, v. 32. de bobus & ovibus, quæ sub virga pastoris transeunt. Num. 18. v. 30. de area & torculari. Vulgo quoque ipsi Judæi numerant tres decimarum species ex horreo, ex torculari, & ex stabulo. Videntur ergo Pharisei, ut in aliis, ita etiam in decimatione nimis rigidi legis observatores fuisse, ut etiam de illis rebus decimas dare voluerint, de quibus Moses non præceperat. Etsi enim Levit. 27. v. 30. juxta hebræam veritatem legatur, dabis decimas de semine terræ: tamen existimant plerique *terre* vocabulum hic agros denotare, qui-

bus Levitæ olim caruerunt. Itaque quicquid in agris natum esset, illud decimandum esse. Non autem intelligi hortos, quos etiam Levitæ in suburbibus suis habere poterant, in quibus mentham rutham & ejusmodi olivula ipsi plantare poterant, ut eorum decimatione non indigerint, nec ea opus fuerit. Num ergo Christus illam nimis exactam *ἀνελεῖαν* Phariseorum hic vituperat? Nequaquam. Nam ipse dicit: *hæc oportuit facere*. Occurrens calumniæ, quæ alias semper hujusmodi Christi dicta eo rapiebat, quasi is hostis legis Mosaicæ esset. Ideo disertè dicit: *hæc oportuit facere*, q. d. Decimate omnino omnia quæ possideris. Illam decimationem Ego non impediam neque reprehendam. Hoc autem in vobis desidero, quod in exequentibus hisce minutis tam exacti videri vultis, & interim ea, in quibus verus DEI cultus, vera pietas & solida vitæ sanctimonia consistunt, securè negligitis: Nam *præteritis judicium & charitatem Dei*, quæ oportet non omittere. Duas species recenset, *judicium & charitatem Dei*: quibus omnem divinam & humanam justitiam; atque sic omnia tam moralia quam forensia DEI præcepta complectitur. Habet enim lex Moysis tres species, ut omnibus notum est: *ἐντολάς, δικαιώματα & κρίματα*. Per *ἐντολάς* notatur ea legis pars, quæ Moralis dicitur: per *κρίματα*, ea, quæ ad civilem politiam & forenses controversias pertinet, quam nos Judicalem appellamus: per *δικαιώματα* sacri ritus, adeoque lex ceremonialis. Itaque 1. per *κρίσιν, judicium*, simpliciter, ut vocabulum sonat, intelligo Christum de eo conqueri, quod Pharisei judicia & actiones forenses corrumpant. Sicuti etiam Jesaias cap. 1. vers. 17. & alii Prophetæ passim de eo querimonias suas institunt. Fuerunt enim Pharisei pars politici magistratus, ideoque oportebat ipsos causas publicas & forensia judicia incorrupta servare. Hoc quia Pharisei intermittebant, *ve* ipsis denunciat. 2. Per *ἀγάπῃ τῶ θεῷ, charitatem Dei*, intelligo observationem omnium præceptorum Decalogi. Ea enim observatio ex timore & dilectione DEI profluere debet. Perfectio enim legis est charitas. Roman. 13. vers. 10. Ex charitate autem DEI, profuit etiam dilectio proximi. Et ipse Christus testatur Matth. 22. vers. 40. ex his duobus præceptis de dilectione DEI & dilectione proximi, dependere universam legem & prophetas. Manifestum itaque ex his est, Christum hoc loco in Phariseis illud reprehendere, quod unam aliquam particulam legis Mosaicæ, utpote externas ceremonias præceptas, arripiant, & in ejus observatione spem justitiæ coram DEO collocent; licet reliquas partes legis, moralem nimirum & judicalem, securè negligant. Quin potius vult docere: Legem Dei unam esse Copulativam; ut qui in uno offendat, factus sit reus omnium. Jac. 2. v. 10.

Ex his quæ dicta sunt, jam facile est cuius doctrinam accommodare ad suos auditores. Transseat verbi minister per singulos status, Ecclesiasticum, politicum & œconomicum, atq; monstret, quomodo pro qualitate sui loci & temporis singuli faciliora legis seligant, in iis se exercent, magis autem

autem necessaria & in quibus DEI gloria atque proximi salus plus promoverentur, vicere negligant. Inprimis autem ex hoc loco taxari potest hypocritis Pharisæorum nostri seculi. Apud Pontificios gravissimum peccatum & inexpiabile scelus esse videtur: si quis prohibitis diebus carnes comedat aut ovum degustet: si præscriptum peculiarum numerum non demurmuret: si Missam non stata hora audiat: si votum Divo alicui nuncupatum non exolvat: si peccata non omnia & singula cum singulis circumstantiis sacrificio confiteatur. At virgines violare, thoros alienos polluere, pejerare, alienas hereditates apud moribundos intercipere, putidissimis figmentis rude vulgus circumducere, principes viros ad opprimendos synceros DEI cultores & Evangelii amatores inflammare. Hæc & similia Jesuitis sunt ludus & jocus. Unde peiores sunt illis Pharisæis qui tempore Christi vixerunt: quia de his omnibus non possumus dicere, hæc oportet facere, sed tantum, hæc oportet penitus omittere.

Porro de decimis olim multum fuit disputatum in regno Pontificio: nec semper consensere Canonici & Theologi. Hodie quoque non raro contentiones de decimatione devolvuntur, ad Consistoria, in quarum decisione consulendi sunt Rebuffus, Tyndarus & alii jure consulti. Theologiae studioso sufficit hæc novisse. 1. De origine decimarum, quod de ea non usque adeo certo constat. Quia tamen sunt antiquissima, videntur initio à sanctis DEI hominibus introducta & DEO dicata in signum Domini, quod DEUS Opt. Max. in res omnes obtineat. Domini enim est terra, & plenitudo ejus: orbis terrarum, & universi qui habitant in eo. Ps. 24. v. 1. Sic sunt qui opinentur, Abelem & Cainum obtulisse DEO non tantum primitias, sed etiam decimas de frugibus & gregibus in recognitionem ejus, quod ipsum Dominum suum faterentur. Gen. 4. v. 3. Abrahamus quoque reversus à pugna cum quatuor orientalibus regibus, decimas dedit ex omnibus Melchisede cho, loco DEI altissimi sive Messia, cujus Sacerdos & typus fuit. Gen. 14. v. 20. Hebr. 7. v. 7. Item Jacobus Patriarcha, spondet DEO oblationem decimarum, de cunctis bonis quæ ipsi daturus esset, si saluum & incolumem in patriam reduceret. Gen. 28. v. 22. Certum itaque est exolutionem decimarum diu ante legem à Mose latam apud Patriarchas in usu fuisse, lege naturæ & pietatis ipsis dictante, Deo in recognitionem superioritatis ex gratitudine aliquid dandum esse. Hunc sanctorum Patrum pium morem, etiam gentes, sive ex institutione suorum Majorum, sive ex καροζήλια Judæorum imitata sunt. Herodotus scribit Cyrum, Persarum regem, victis Lydis decimam prædæ partem Jovi dedisse. Et Ovidius testatur Liberum patrem, post devictos Scythas aliosque populos, primitias obtulisse.

*Te memorant, Gange, totoque Oriente subacta.
Primitias magno seposuisse Jovi.*

Libr. 3. Fast.

2. Postea sub Mose, cum Deus promulgaret suam legem inter alia decimarum oblatione confirmavit. Sub lege autem invenimus duo decima-

rum genera. Unum possumus appellare decimas Ecclesiasticas sive sacerdotales, alterum politicas sive regales. De priori genere multum tradit Moses, Lev. 27. v. 30. Num. 18. v. 20. Deut. 14. v. 22. & 26. v. 12. Summa eorum hæc est. Quia DEUS femini Abrahami, Isaaci & Jacobi promiserat terram Chanaan in hereditatem: utiq; Levi & hujus posterii legitimi hæredes & successores erant ex duodecima parte. Atqui his præteritis Josephus, in duobus suis filiis Ephraim & Manasse, duas terræ partes obtinuit. Nisi ergo Levitis aliunde prospiceretur, iniqua fuisset hereditatis distributio. Deus itaque quitanquam rex hujus populi decimas sibi suo jure antiquitè vendicabat, illas Levitis resignavit, atq; hos suos quasi Vicarios constituit, qui suo nomine decimas susciperent. Ideo DEUS Num. 18. v. 20. Aaroni & Levitis disertè dicit: In terra filiorum Israel nihil possidebitis, nec habebitis partem inter eos: Ego pars & hereditas tua in medio filiorum Israel. Huic accedebat & illud, quod Levitæ operam impendebant sanctuario, occupati erant in peragendis sacris & docendo populo. Hic labor ipsorum mercede aliqua dignus fuit. Ut ergo ad sacra liberiores, alacriores & magis intenti essent, nec per curam rei domesticæ à sacris abstraherentur, hoc proventu decimarum DEUS ipsis prospicere voluit. Duæ igitur sunt causæ, ob quas olim Levitæ in possessionem decimarum sunt collocati: una, quia alias nullam habebant partem in Israele; altera, quia ministerio tabernaculi vacabant: Harum Ecclesiasticarum decimarum tres apud Mosen sunt species. Primò siquidem populus debebat Levitis decimam partem omnium frugum, & pecudum, quæ transibant sub virga. Lev. 27. v. 30. Deinde Levitæ ex his ipsis decimis, rursus debebant sacerdotibus offerre decimam partem. Num. 18. v. 26. Et hæc species Græcis dicta est *deutero dekadè* teste D. Hieron. in 45. c. Ezech. III. præceptum etiam fuit Judæis Deut. 14. v. 28. ut tertio quovis anno de proventibus illius anni decimas reponant intra portas suas. Quæ fuit peculiaris species decimarum, ubi semper tertio anno Levitæ ad decimarum participationem admittere cogebantur, egenos fratres, pupillos, viduas, peregrinos. Quam speciem cum D. Hieronymo, dicto loco *πρωδεκαδα* appellare libet. Et hoc summa æquitate ita à DEO temperatum erat, ut sacerdotes & Levitæ jam duorum annorum decimis ditati, tertio anno etiam alios pauperes ad earum partem admitterent. Sic tum ex nimia illorum abundantia aliquid minuebatur, ne se luxuriæ dederent, tum proventus anni sic moderabantur, ut Levitis in singulos annos non plus duodecima parte integrum maneret, quæ portio ipsis & legitima terræ hereditate debebatur. Atque hæc fuit Ecclesiæ decimæ apud Judæos, quas solas pendebant temporibus Josuæ & Judicum.

Postea cum Judæi sub Samuele, Judicum imperio pertæsi, regem sibi dari peterent, qui ipsos judicaret ad exemplum omnium nationum. Ibi DEUS ipsis per Samuelem jus regis denunciari iussit, in quo inter alios articulos etiam hic continebatur. 1. Sam. 8. v. 15. Segetes vestras, & redditus vinearum addecimabit, ut det Eunuchis & famulis suis. Greges quoque vestros addecimabit, vosque eritis ei servi. Atque sic in populo Israelitico intro-

intro-

introducæ sunt decimæ politicæ, sive regales. Ratio ejus additur, v. 7. Me abjecerunt, ne regnem super eos, Hoc est, antiquis temporibus DEUS rex erat illius populi: qui regnum illud administravit per Judices & heroes à se excitatos. Sicuti Deut. 33. v. 5. Moses tanquam rex inter Israelitas fuisse dicitur. Et licet hi Judices decimas propterea exigere poterant: tamen quia DEUS eas tribui Leviticæ concesserat, gratis eo officio in honorem DEI & populi utilitatem defungebantur. Ut cum Mose Numer. 16. v. 15. dicere potuerint: tu scis Domine, quod ne a se illum quidem unquam acceperim ab eis, nec afflixerim quempiam eorum. Hoc duravit usq; ad tempora Samuelis, cujus filii declinaverunt post avaritiam, acceperuntque munera, & perverterunt iudicium. Cum ergo Israelitæ DEI imperium rejicerent, & regem peterent, DEUS iusto iudicio illi regi etiam jus regis tradidit, nimirum decimas. Atque sic in pœnam rejecti imperii divini, decimæ ipsæ sunt duplicatæ. Nam & antiquitas magistratum decimas à populis subjectis exigebantur. Sicuti, antequam apud eos dominabantur Romani, suis regibus decimas solvebant. Senatus quoque Romanus à populis tributariis eas exigebat. Imò si charior in urbe esset annona. Senatus etiam alteras decimas provinciis imperabat. Hac itaque ratione decimæ numerabantur, inter publica vectigalia & tributa regalia, quæ si perolvere recusassent, politicum statum turbare velle visi fuissent. Et hæc fuit ratio decimarum apud Judæos.

3. Porro, quia ex hac disputatione Christi cum Phariseis patet, Christum decimarum solutionem inter ceremoniales leges rejecisse. Opponit enim illis iudicium & charitatem Dei, hoc est, forenses & morales leges, Ceremonialis autem lex per adventum Messie est sublata, nec quisquam nos in eo iudicare debet: quia fuerunt leges illæ umbra rerum futurarum, at Corpus est Christi Col. 2. v. 17. Ideò non ineptè queritur, quomodo & quatenus etiam Christiani ad solvendas decimas sint obligati? Hic respondeo. 1. Quod decimas politicas attinet, illæ non sunt sublata. Ut enim Magistratus seu regium officium etiam manet sub Evangelio (Christus enim regna mundi non tollit) sic etiam quæcunque ad illius status conservationem pertinent, non sunt sublata. Hinc Paulus, cum de magistratus officio scribit, inter alia addit Roman. 13. v. 7. Reddite omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem. Cum ergo inter vectigalia regia & tributa publica numerandæ etiam sint decimæ, utique subditi etiam sub Evangelio eas, nisi privilegium aliquod habeant, non recusabunt, nisi ordinem politicum & statum regnorum turbare velint. 2. Quoad Ecclesiasticas verò decimas, quatenus illæ apud Israelitas fuerunt ceremoniale quid, eatenus sunt sublata. Sed quia simul continent aliquid morale, in quantum nimirum data fuerunt ad sustentationem ministerii, eatenus non sunt sublata. Unde pii imperatores, cum initio Christo nomina sua darent, pia sollicitudine tacti: ne Ecclesia ministris destitueretur, decimas erogarunt ad alendum clerum. Et probabile est ipsos,

cum pastoribus ex publico alimenta conferre velent, potius decimas elegisse, quam alios redit, ut sic Deum imitentur. Christi enim vox est Matth. 10. v. 10. Dignus est operarius cibo suo. Et ratio dicitur, ut his, qui divina ministrant ad salutem totius populi, populus vicissim necessaria ministrat. Ideò Paul. 1. Cor. 9. v. 9. dicit: quis suis stipendiis militat unquam? Quo in loco prolixè docet, ex Deut. 25. v. 4. bovi trituranti non esse os obligandum: & Dominum ordinasse, ut quemadmodum in Veteri Testamento de altari participarunt, qui altari deservierant: ita in Novo Testamento de Evangelio vivant, qui Evangelium annunciant. Et huc rectè accommodari potest dictum Mal. 3. v. 8. Numquam est, ut homo defraudet Deum. Atqui vos defraudatis me, & dixistis: in quo defraudavimus te? In decimis & primitiis. Et in maledictione vos maledicti estis, & me vos defraudatis tota gens. In ferre omnem decimam in horreum meum: & sit cibus in domo mea, & probate me super hoc, dicit Dominus, si non aperuero vobis cataractas cœli, & effundero vobis benedictionem usque ad abundantiam. Ex his & similibus locis verbi ministri occasionem de sumere possunt, auditores suos commonefaciendi, ut & ipsi fideliter decimas exoluant, iisque ministerii conservationem juvent. Illarum solutio eos non ad paupertatem adiget, sed potius largissimam Domini benedictionem impetrabit.

Hæc verò dicendo, non propterea probamus omnia, quæ Pontifex Romanus cum suo clero juri suo Canonico de decimis insuit. Ubi sibi suisque creaturis jure divino decimas ita adscribit, ut omnia ad suum horreum & suum molendinū derivando, fere reges & principes hujus mundi omnibus suis bonis spoliavit. Hoc ex lege Dei nunquam probare poterit. Cui malo etiam illud accessit, quod Abbates & Monachi, ignavi ventres & fuci, maximam partem decimarū ipsi devorarunt: qui tamen nulla ministeria Ecclesiastica in populo sustinuerunt. Unde etiam olim inter clericos non sunt habiti. Quod ergo pii Principes hosce abusus sub Evangelio correxerunt, & ignavum illud pecus à præsepi Ecclesiæ arcuerunt, quis id ipsis vitio verteret? Reformata quoque Consistoria in decidendis controversiis decimarum Canones Pontificios ulterius non attendent, quam quatenus juri naturæ sunt conformes, & faciunt ad conservationem ministerii.

III. Tertium membrum, quod in convivio isto Pharisaico tractatur, hoc est, quod Christus in ipsis taxat superbiam, ambitionem & inanem dignitatis ostentationem. *Va vobis*, inquit, *quia diligitis primas cathedras in synagogis, & salutationes in foro.* Hic verò sciendum, quod Christus non omnino & simpliciter *πρωτοκαθεδριαν* & salutationem in publico damnet. Nam omnino, nisi mera consulsio in rebus humanis introduci debeat, necesse est, ut aliquis primo loco sedeat. Et si quis beneficus Mæcenæ à multis clientibus salutetur, id improbari non potest. Nam non tantum Paulus monet, Roman. 12. v. 10. ut alii alios honore præveniant. Sed etiam DEUS præcipit, ut coram cano capite assurgamus, & honoremus personam senis, Levit. 19. v. 32. Sed hoc Christus improbat, quod Pharisei honores, qui dignioribus debebantur, privata ambitione ipsi sibi vendicarent: & ad

& ad inanem saltem ostentationem à multis salu-
tari cuperent. Siquidem id ad honoris sui am-
plitudinem facere putabant. Hinc generalis do-
ctrina petatur contra superbiam & ambitionem.
Quid superbit homo? cum sit terra & cinis, Syrac.
10. v. 9. Per superbiam homo multis peccatis re-
pletur. Est enim ea, quasi rex vitiorum, ad quem
multi servi accurrunt. Unde Chrysostomus bene
dixit: Tolle hoc vitium, ut non velint homines
hominibus apparere, & sine labore cetera vitia
refecantur. Per superbiam etiam homo omni-
bus suis virtutibus expoliatur. Unde vulgares
sunt rhythmici.

*Si tibi gratia, si sapientia, si fortunaq; detur:
Destruit omnia, sola superbia si comitetur.*

Ambitio nihilo est melior. Per eam enim omnia
vitia ad cor usque intrant, ut illud perdant: veluti
etiam ignis semper alta perit, ut omnia destruat.
Eleganter itaque Anshelmus: Ambitiosus est in-
star pueri: qui dum papilionem venatur, cadit in
foveam. Neque etiam ambitiosi propterea tan-
to majoris sunt valoris, quia semper summa pe-
runt. Sed sunt instar palearum, quæ & ipsæ ob
levitatem facile à vento sursum feruntur, dum no-
bilia grana humi quasi volvuntur. Pii humilitati
studeant, & à DEO exaltabuntur iusto tempore.
1. Petr. 5. v. 6.

Præbet quoque hic Christi locus occasionem
taxandi plus quam Luciferianam superbiam Ro-
mani Pontificis & ejus creaturarum. Ille ipse sibi
elegit *παρωχαδεδιαν* non tantum in Ecclesia
Christi, sed in universo terrarum orbe. Sic enim
Bonifacius VIII. in C. unam sanctam, extravag. de
Major. & obed. dicit: subesse Romano Pontifici,
omni humanæ creaturæ, declaramus, dicimus, de-
finimus & pronunciamus omnino esse de neces-
sitate salutis. Et Gregorius VII. antea dictus Helle-
brand, Platina referente dixit: Agite Apostolorum
principes, & vestra autoritate quod dixi
confirmate, nos Imperia, Regna, Principatus, &
quicquid habere mortales possunt, auferre & da-
re posse. Unde Blondus lib. 3. Rom. instaur. scribit:
Omnes Principes orbis terrarum Pontificem
honorant & colunt ut SUMMUM DEUM. Qualis
hic DEUS, tales etiam sunt ipsius creaturæ. In au-
lis Imperatoris, Regum & Principum videmus,
quomodo ipsius Cardinales, Episcopi, legati &
Monachi; licet infimo loco sint nati, nec ulla vel
singulari eruditione vel virtute ornat, tantum
quia ab ipso sunt rasi & uncti, ambitiose primos
honores quarant, ut etiam sæpenumero Princi-
pes vivi ipsi cedere cogantur. Sed Christus etiam
ipsis hic *væ* horrendum denunciat, & quando ad
judicium reversus fuerit, infernalibus flammis
hanc ipsorum ambitionem retundet.

IV. Quarto notavit etiam Christus in hoc con-
vivio Phariseorum hypocrisin, qua homines tur-
piter fallant. *Væ vobis Scribæ & Pharisei hypocrite,
quia estis ut monumenta, quæ non apparent, & ho-
mines ambulantes super ea nesciunt.* Conjungit hic
Scribas & Phariseos, ut innuat de falsa ipsorum
doctrina & fallaci seu hypocritica vita hoc in-
telligi se velle. Est autem elegans hæc similitudo
qua Christus hic utitur, ut suis hypocritæos na-
turam & proprietates ob oculos pingat. Monu-

menta defunctorum (ut etiam apud nos fieri so-
let) intra humum effodiuntur: postea funere in-
jecto, rursus terra obruuntur, & superficietenus
complanantur, ut super ea ambulare quis possit,
ita ut plerique nesciant à se sepulchrum calcari:
coram DEO autem cujus oculi etiam in abyssum
penetrant ista omnia patent. Ita Phariseorum
conversatio tota, coram hominibus fuit speciosa.
Legem Mosis, patrum suorum traditionibus, qua-
si meliorem & explanatiorem reddebant. In vi-
ta verò jejuniis, preculis, purificationibus exqui-
sitis se omnibus commendabiles & gratiosos
reddebant. Verum hæc omnia nihil aliud erant,
quam externa species & larva coram hominibus.
Coram DEO autem, qui acie oculorum suorum
in ipsa cordium penetralia penetrat, mortua erant
omnia. Quia destituebantur vera fide in Chri-
stum, qui solus est vita hominum, & qui bona fra-
grantia notitiæ suæ nos acceptos reddit DEO, 2.
Cor. 2. v. 14. Hoc odore quicumque caret, ille
coram DEO non aliter foetet, quam mortua &
putrida cadavera in sepulchris.

Notent hoc boni Christiani ut tanto diligentius
fugiant nostri seculi Phariseos, qui veterum il-
lorum doctrinam, mores & ingenium per omnia
fere referunt. Jesuitas intelligo: qui doctrinæ
suæ suavitate & simulatæ sanctimonix fuco, sim-
pliciores decipiunt. Putant hi, quoniam Jesui-
tæ reliquos crassos Monachos eruditione super-
ant, juventutem in bonis literis erudiunt, in dis-
putationibus & conversatione se blandos exhibent,
Christum sapius nominant, ipsos etiam pro
bonis & utilibus Ecclesiarum Doctoribus habendos
& tolerandos esse. Sed cavete vobis, o principes
Christiani, sæpè sub pictura aurea latet putridum
lignum.

*Non reputes aurum, quodcumq; relucet ut aurum:
Nec pulchrum pomum quodlibet esse bonum.*

Ipsi cum tota sua doctrina & hypocrisis sunt ab-
scondita sepulchra, supra quibus ambulare est val-
de periculosum. Fieri enim potest, ut quando
quis super ejusmodi sepulchro securus incedit, &
densos læti graminis cespites miratur, inscius quid
suis pedibus subsit, ut fractis sub terra cadaverum
arcis ex improvise subsidat. Sic multi, etiam
Episcopi, magno cum suo malo experti sunt,
quam misere & turpiter fuerint decepti, quod ab-
dita illa Jesuitica monumenta intra suos Episco-
patus receperunt. Persuaserunt se habituros fi-
dos juventutis informatores: & deprehenderunt
ipsos esse insatiabiles voragines, quas si non ad
placitum impleant, mox apud Latium suum De-
um per ipsos accensentur. Quid jam dicam de il-
lis, qui cum animarum suarum periculo & æter-
næ salutis dispendio super his monumentis ambu-
larunt.

V. Quintum membrum, quod in Pharisaico
hoc convivio tractatur, est, quod Christus Legispe-
ritis, tyrannidem animarum objicit, eo quod
intolerabilibus oneribus populum gravent, nec
ulla ex parte eundem sublevent. Ante omnia au-
tem Evangelista indicat, qua occasione Christus
ad hanc reprehensionem venerit. Erat hoc Phari-
saicum convivium confarcinatum ex variarum
secta-

sectarum ordinibus. Aderant Pharisei, Scribae & Legisperiti. Qui ordines, in quibus confenserint, & quid inter singulos discriminis fuerit, non facile est explicare. Cap. X. hujus Harmoniæ aliquid ea de re dictum est. Putant quidam inter ipsos eandem fuisse diversitatem, quæ sit in Papatu inter religiosos & Magistros nostros. Quorum hi cum Legisperitis majorem Scripturarum scientiam: illi cum Phariseis ex sua professione & ordine majorem sanctitatem præ se ferant. Et bene factum, quod istiusmodi comparatione diversitas horum ordinum indicatur. Sic enim fieri solet, quando sincera doctrina in falsam commutatur, quod tunc multi diversarum sectarum ordines oriuntur, qui in leviculis quibusdam inter se discrepant, adeo ut paucis vera diversitas innotescat; qui tamen omnes in eo conveniunt, quod Christi & purioris doctrinæ hostes sunt, sicut fuerunt Pharisei, Scribae & Legisperiti. In Papatu propemodum etiam sunt innumerabiles sectarum ordines. Sunt ibi Anachoretæ, Ambrosiani, Augustiniani, Basiliani, Benedictini, Bernhardini, Cœlestini, Camalduenses, Carmelitani, Cistercienses, Crucigeri, Dominicani, Eremitæ, Flagellantes, Franciscani, Gilbertini, Humiliati, Jesuati, Jesuitæ, Minores, Minimi, Prædicatores, Præmonstratenses, Servi, Sylvestrini, & quis agmen illud insectorum istorum insectas divisum omne recenseret? In quibus singuli ordines ab invicem differant, fortassis illi ipsi qui in istis ordinibus vivunt non omnes differentias noverunt. In illo tamen omnes conveniunt, quod sint Antichristi creaturæ Monachi, veri servatoris JESU Christi hostes, non minus quam Pharisei, Scribae & Legisperiti.

Cum ergo hi tres ordines fuerint jurati Christi hostes, & Christus in quarto membro Scribas Phariseis annumeravit: inter Scribas autem & Legisperitos major cognatio fuisse videatur. Siquidem qui Marc. 12. v. 28. γραμματέως Scriba appellatur, ille Matth. 22. v. 35. Νομικός Legisperitus dicitur: Ideo legisperito homini superciliosè bilem movet, quod asperius quippiam in hominem sui ordinis consortem à Jesu dictum audit. Cumq; & se & sui ordinis homines sine omni peccato esse arbitraretur, & tales etiam à Christo haberi vellet, ultro se ad disputationem cum Jesu ingerit, dicens: *Μαγίστηρ διδάσκαλε*. Doctoris titulo eum verbotenus honorat: quem tamen veritatem docentem & dicentem non vult audire. Nam addit: *hæc dicens etiam nos, legisperitos, contumelia afficit*. An tu legisperite ista dicens, prodis & ingenii tui superbiam, & animi male sibi conscii morbum. Etenim superbiæ est *ὕψος* & contumeliam interpretari, si arguaris: cum probus & humilis justam reprehensionem beneficii loco habeat, Psal. 141. v. 5. injustam autem placidè & modestè refutet. Animus autem malè sibi conscius, liberius in alios dicta, de se putat omnia dici. Hujus legisperiti similes hodie multi reperiuntur, qui & ipsi contumeliam aut injuriam interpretantur, si ipsorum dicta vel facta à verbis ministris paulo liberius corriganter. Et tales non sunt tantum principes viri, qui agerrimè ferunt, quando vel superstitiones & errores ab ipsis approbati, vel edicta nimis dura ab ipsis publicata, vel facta scan-

dali plena, ex verbo DEI arguuntur. Putant hoc modo suam existimationem gravissimè lædi, & subditis quasi pedibus conculcandam objici. Exemplum hujus habemus in Jeroboamo, 1. Reg. 13. v. 4. & in Achabo, 1. Reg. 18. v. 17. & in aliis. Verum etiam homines vulgares idem interdum facere audent, qui quando audiunt, sua peccata pro concione traduci, & intra conscientiam suam sentiunt se notari, licet non nominentur, mox missis Notario & testibus à Pastore inquirunt, an ista in se dicta sint, atque postea Actione injuriarum illos persequi & in jus trahere volunt. Sed *ve* istis superbis, præfractis & audacibus hominibus. Ipsi coram tribunali filii DEI judicio cadent: nisi maturè adhuc in hac vita pœnitentiam agant. Neque enim convitium, sed officium & beneficium est peccata quorumvis hominum, etiam in sublimitate positorum, ex verbo DEI arguere, quo homines aeterno interitui subtrahantur. Hinc David non odio persecutus est Nathanem. 2. Samuelis 12. v. 7. se admodum libere arguentem: nec Josaphat prophetam Hamani. 2. Paralip. 19. v. 20. Nam & reges & principes verbo Dei sunt subjecti.

Quid ergo Christus isti Νομικός respondet? *Quin & vobis legisperitis ve, quia oneratis homines oneribus, quæ portare non possunt, & ipsi uno digito vestro non attingitis sarcinas*. Duo ipsis objicit. Primum, quod importabilia onera hominibus imponant. Per *φορτία* autem *δυσβάστατα* onera importabilia, intelligit Christus primum legem Moïsi, qualiter ipsi extra Messiam eam suis auditoribus proponebant. Extra Christum enim lex est importabile onus. Sicuti Paulus Roman. 7. prolixè de lege DEI agens, tandem v. 24. exclamat: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Sed addit: gratia DEI per Dominum nostrum JESUM Christum. Nam in Christo fit importabile onus legis leve, & jugum illud suave. Matth. 11. v. ult. De quo alioquin Petrus pronunciat, quod sit jugum, quod neque patres neque ipsi portare poterint. Actor. 15. v. 10. Et Paulus Roma. 8. v. 3. vocat τὸ ἀδύνατον τῆς νόμου, impotentiam legis, quam caro portare non possit, sed DEUS per filium suum præstet. Deinde per *importabilia* illa *onerata* intelligit etiam *θευτερώσεις* & traditiones, quas præter legem Moïsaicam miseræ plebeculæ imponebant, in iisque præcipuam partem cultus divini collocabant: quæ erant numero infinitæ, Sacerdotibus quidem & Scribis quæstuosæ, populo verò graves & portatu difficilissimæ. Alterum vitium, quod legisperitis objicit, est: *quod minimo digito onera ista non attingant*. Est hoc figurate dictum; & intelligit, ipsos nulla vera institutione plebeculam sublevare. Quod etiam bifariam factum est. Primum, quia verum finem & usum legis Moïsaicæ populo non explicabant: qui erat, ut lex esset pædagogus ad Christum. Galat. 3. v. 24. Debuissent ergo populum instituisse, DEUM legem suam ipsi tradidisse, non ut per eam justificarentur: sed ut ex ea peccata sua agnoscerent, Rom. 3. v. 20. de propria justitia desperarent, & extra se veram justitiam, quæ coram DEO valeat, quærerent, quæ consistit in obedientia & satisfactione Messias, quem omnia Levitica sacrificia præfigurant. Hoc modo si legisperiti

le.

ti legem proposuissent, tum onus illud Moſis, in ſe importabile, in Chriſto leve & portatu facile reddiſſent. Hic enim valet illud Pauli, Philip. 4. verſ. 12. Omnia poſſum in eo, qui me confortat Chriſto Jeſu. Deinde etiam alio modo onera iſta non attingebant: quod dum palam & apud populum traditiones illas rigidiffime urgerent, ipſi interim clam ſecure illas negligebant, & nihil minus præſtabant. Sicuti ſemper hypocritæ erga alios ſunt rigidi & ſeveri exactores officiorum pietatis, ſed erga ſeipſos ſunt blandi & remiſſi. Et dum foris ſe Curioſe eſſe ſimulant, domi bachanalia vivunt.

Ex hoc Chriſti dicto colligat pia mens, quam horrendum vix maneat Pontificiam cohortem. Illa revera per multa ſecula importabilia onera impoſuit hominibus. Omiſſa enim prædicatione de merito Jeſu Chriſti, qui à Patre nobis factus eſt ſapientia, juſtitia, ſanctificatio & redemptio, qui ſolus nobis aditum parat ad thronum gratiæ, homines remiſerunt ad propriorum ſuorum operum merita, ad Vigilias, Jejunia, Roſarias, Diſciplinās, Flagellationes, Eleemoſynas, Attritionem, Contritionem, omnium peccatorum Enumerationem ſive Confeſſionem auricularem, Satisfactiones, Contributiones, Reliquias ſanctorum, Peregrinationes ad ſanctos, Indulgentias Papales, Cardinalitias, Episcopales, Stationarias, Proceſſiones, Ordines Monachicos & Eremiticos, obedientiam hypocriticam, virginitatem coactam ſeu meretriciam, paupertatem voluntariā, fraternitates, & ſexcenta alia. Et quando hæc omnia pro virili per omnem vitam præſtiterunt, tamen in agone mortis conſtitutos, & cum deſperatione luctantes, ex hac miſeriarum valle emigrare paſſi ſunt, dubitabundos & incertos utrum ad cæli an ad inferorum portas ſint deveniendi. Cum quibus optime egerunt, eos ad ſectitium ſuum purgatoriū ignem remiſerunt, & conſilium ſubjecerunt de 24. ſubſidiis pro deſunctis quibus eo maturius ex ſlammis purgatorii ignis liberari poſſint. Quæ tamen media omnia eo fuerunt directæ, ut ipſi quidem raſæ & unctæ cohorti bene eſſet, interim tamen deſunctorum hæredibus cum irreparabili damno crumenæ exhaurirentur, & importabile onus vel paupertatis vel debitorum imponeretur. O vos animarum carniſices, Jeſuite, qua fronte, quo pudore hanc carniſcinam olim coram juſto judicæ excuſabitis? quibus coloribus eam pingetis? Cum interim negare non poſſitis, Pontifices veſtros Romanos in quaſtiſis iſtiusmodi indulgentiis deliciatos fuiſſe, ſimplicitatem rudis plebeculæ riſiſſe, & una voce cum Alexandro VI. gloriatos eſſe, per bonam hanc Chriſtianorum perſuaſionem ſe dominari. Quin & ipſius ſpurioſi Caſar Borgia, Joviano Pontano referente, cum quadam vice centum millia Ducatorum luſu perdidiffet, per jocum dixit, ſe tantum luſiſſe peccata Germanorum: innuens pecuniam iſtam maledictam per Indulgentias papales ex Germania collectam fuiſſe. Quid? quod non deſuerunt, qui omnem de Jeſu Chriſto Salvatore noſtro hitoriā pro fabula habuerunt, quæ Pontificibus multum profuerit.

Hæc autem non tantum faciunt adverſus Pontificios, ſed etiam noſtrarum Eccleſiarum doctores monent, ut doctrinā ſalutis recte proponant.

Harm. Tom. I.

1. A præceptis legis doctrinā Evangelii non ſegregent, niſi homines in horribiles conſcientiæ terrores, & ad extremum deſperationis præcipitium adducere velint. Lex enim tantum iram operatur. Roman. 4. v. 15. Addatur ergo eidem doctrinā de gratia Dei, ut conſcientiæ minis legis proſtrata ruruſus conſideratione meriti Chriſti erigantur, & pacem ad Deum conſequantur. Rom. 5. v. 1. 2. Bono exemplo etiam ſuis auditoribus præluceant, & quod alios docent illud non tantum uno digito, ſed toto corpore quoque exequi ſtudeant. Nam: Turpe eſt Doctori cum culpa redarguit ipſum.

VI. Sexto loco exprobrat Jeſus ipſis præpoſteram veterum prophetarum obſervantiam, & præſentium odium atque perſecutionem: in quo ipſos ſuis patribus in omnibus æquales, atque ſic malorum corvorum peſſimos pullos, eſſe teſtatur. *Va vobis, quia ædificatis monumenta prophetarum, patres autem veſtri occiderunt illos.* Hic diſputant, quomodo Dominus ex eo, quod ipſi ædificant ſepulchra prophetarum, colligat, ipſos approbare opera patrum ſuorum. Cum potius contrarium inde inferendum videatur: maxime cum Matth. 23. v. 30. ubi Chriſtus idem argumentum tractat, ipſe teſtetur eos dixiſſe: ſi nos patrum noſtrorum tempore vixiſſemus, non fuiſſemus ipſorum ſocii in cæde prophetarum. Verum ſi quis Lucae textum diligentius inſpiciat, & membra recte diſtribuat, tum vera ſententia per ſe eſt plana. Chriſtus duo ponit verba: *μαρτυρείτε, καὶ οὐκ ἐδοκίματε, τεſtamini & comprobatis.* Ad hæc duo verba ſequens textus totus eſt accommodandus, & videndum, quæ membra cui verbo correfpondeant: quid & quomodo teſtentur, quid item quomodo comprobent. 1. Quid teſtantur? *Quoniam illi eos occiderunt.* Quando id teſtantur? *Dum ædificant eorum ſepulchra.* Quotiescunque enim prætereuntes de monumentis illis inquiſiverunt, aut ea luſtrarunt, toties majorum facinus ſibi in memoriā revocarunt, non aliter, quam ſi ex literarum monumentis ipſam hitoriā relegerent. Sepulchra itaq; extructa fuerunt memoriale & teſtimonium ſempiternum criminis, quod majores commiſerunt in ſanctos Dei Prophetas. 2. Quando vero comprobant facta patrum ſuorum? quia dixit ſapientia Dei: *mittam etiam ad illos Prophetas & Apoſtoloſ, & ex illis occident & perſequentur.* Quænam eſt illa ſapientia Dei, quæ hoc dixit? Ipſe filius Dei, qui eſt æterna Patris ſapientia, quam poſſedit in initio viarum ſuarum. Proverb. 8. v. 22. Quando vero hoc dixit? Decrevit quidem ab initio, quod populo ſuo indefinenter velit dare doctores: ſed hoc etiam dixit tum cum jam multos prophetas occiderant: cum ſanam doctrinam humanis traditionibus corruperant: cum omnem religionem ſibi quaſtum fecerant: cum jam jam ipſum illum Dei filium in manus gentium tradituri & crudeliſſime occiſuri erant. Potuiſſet ſane Judæorum pertinax improbitas & contumacia filium Dei permoviſſe, ut, quoniam veteres Prophetas pleroſque occiderunt, in poſterum ſuæ bonitatis rivulos retraheret, maxime cum non ignoreret, eos cum poſterioribus prophetis & apoſtolicis non mitius acturos eſſe. Sicuti id comprobant exempla, Stephani, Actor. 7. verſ. 58. Jacobi, Act. 12.

FFFFF

Act. 12.



Act. 12. v. 2. quos occiderunt: item Petri. Act. 12. vers. 17. Pauli. Act. 25. vers. 10. quos persecuti sunt, adeo ut Paulus Romæ sub Nerone crudelissimo jus & justitiam quærere coactus fuerit, quam in sancta urbe Hierosolymorum invenire non potuit.

Porro miretur quis cur æterna sapientia Dei sanctissimos illos homines impiorum crudelitati objecerit, cum præciverit tam inique eos ipsos tractaturos? Non videtur usq; adeo boni & prudentis viri esse, si sciens & volens ita suos discrimini objiciat. Ad hoc sciendum, graves filium Dei hujus sui consilii habere causas. 1. Horum ministerio voluit filios Dei, qui passim in mundo inter impios dispersi erant, in unum congregare. Johan. 11. vers. 52. Qui inter lupos istos perissent, nisi illorum ministerio ex interitu erepti fuissent. 2. Hac ratione illi ipsi Prophetæ & Apostoli conformes facti fuerunt imagini filii Dei. Rom. 8. v. 29. Qui & ipse, post superatos plurimos docendi & bene merendi labores, tandem in crucem actus est. Certum autem est, si commortui erimus, & convivemus: si sustinebimus, & conregnabimus. 3. Timoth. 2. v. 11. 3. Deniq; impii ipsi hoc modo redduntur *διτοκαταξίτοι*, nec habebunt quod in extremo judicio prætendant, cum Deus vel invitis veritatis præconium obtruserit. Neque enim impii illi Prophetarum occisores & persecutores inultam ferent hanc tantam suam improbitatem. Nam requiratur ab ista generatione sanguis omnium prophetarum, qui effunditur à constitutione mundi, à sanguine Abel usq; ad sanguinem Zachariæ, qui perit inter altare & adem. Etsi enim alias regula justitiæ divina velit: ut filius non portet iniquitatem patris, nec pater iniquitatem filii: Ezech. 18. v. 20. quia tamen hi impiorum parentum erant impii filii, & generatio illa Judæorum, quæ tempore Christi vixit, fuit quasi consummatix effusionis sanguinis Prophetici & Apostolici, justissima Dei ultione ab ipsis poena sumta est, omnis sanguinis injuste effusi. Atq; ut Christus tanto plus Pharisæos & Legis peritos terreat, & ad resipiscentiam metu venturæ ultionis provocet, addit: *va, certe, profecto dico vobis, requiratur ab hac generatione.* Complementum hujus comminationis tum secutum est, quando per Titum & Vespasium Judæorum gens crudelissimo excidio perditæ est succensa sancta urbe Hierosolyma, & reliquis civitatibus destructis, multis myriadibus Judæorum crudelissime occisis, ac reliquis eorum vendatis & dispersis in omnes gentes, adeoque tota illa generatione à Deo reprobata & rejecta. Ibi impletum est, quod David in Psalm. 109. v. 14. in persona Christi precatur: in memoriam redeat iniquitas patrum ejus in conspectu Domini: & peccatum matris ejus non deleatur. Pervenit igitur jam super eos ira Dei usq; in finem, ut scribit Paulus 1. Thessal. 1. v. 15. quia occiderunt Dominum Jesum & Prophetas, & nos Apostolos persecuti sunt, & Deo non placent, & omnibus hominibus adversantur; prohibentes Apostolos gentibus loqui ut salvæ fiant: ut impleant peccata sua semper.

Ex hoc membro nostri seculi Pharisæos, ceu ex ungue leonem, cognoscere licet: & qui eos, sic

ad vivum à Christo depictos, videre nolit, eum Tiresiã vate magis cœcum esse oportet. Jesuitæ, ut & reliquæ Romani Pontificis creaturæ, quæ sese Catholicorum nomine venditant, non tantum Apostolorum & veterum Martyrum sepulchra ædificant, sed longe plus præstant: dum magnifica templa in eorum memoriam extruunt, statuas erigunt, ad illas preces suas recitant, cereos ipsis accendant, certos dies festos dicant, Missas canunt, processiones & peregrinationes ad illos instituunt, ipsorum corpora, ossa & minutissimas reliquias (plerunquæ supposititias & adulterinas) superstitione conquirunt, asserunt, religiose venerantur: & omnes quicunque non una cum ipsis hosce Sanctos divinis honoribus prosequi volunt, eos prophanos ipsorum contemptores esse proclamant. Imo aperte cum veteribus illis Pharisæis dicunt: *o si nos Apostolorum & Martyrum temporibus, sicut patres nostri, vixissemus, non eorum focii in occidentis Divis illis fuissetis.* Ergo testantur, Majores suos, Romanos, Martyres impie occidisse. Sed non tantum hoc testantur de suis Majoribus: verum etiam comprobant ipsorum facta. In quo? In eo, quod Dei sapientia etiam ipsis postremis hisce temporibus Apostolos & Martyres mittit, qui idem cum veteribus illis Evangelium docent, Jesum Christum unicum nostrum apud Patrem Mediatorem esse ostendunt: hunc solum pro peccatis nostris satisfecisse, solum apud Deum nostram justitiam, unicam ad vitam & salutem viam esse testantur; ex illis vero alios occidunt, alios persequuntur. Quot enim Martyrum ardentis rogos superiori seculo Roma, quot Hispania, Gallia, Anglia, Belgium, & aliæ orbis Christiani oræ viderunt? Quot ensium acies retusa est in cædendis cervicibus piorum Christianorum? Quantum innocentis sanguinis effusum est, ob solam Evangelii professionem? Persecutiones quoq; plus quam Turcica & barbaræ, in Styria, Carinthia, Austria, Francia, & Bavaria adhuc in recenti sunt memoria.

Miretur autem quis non immerito, qui fiat, quod Jesuitæ tanti & tam magnifici sunt Apostolorum cultores, & tamen Apostolicam doctrinam ferre nequeant, sed plus quam Vatiniانو odio persequantur. Sed in promptu causa est. Apostoli & Martyres sunt mortui, & Pontificios non amplius mordent; ac proinde eos venerantur. Verum resurgant illi duo Apostolorum Principes, Petrus & Paulus, à mortuis, sese Romam conferant, ibique concionentur antiquum illud suum Evangelium: & ille quidem doceat: non est in alio quoquam salus: nec aliud nomen sub cœlo datum est hominibus, in quo oporteat eos salvos fieri, quam nomen Jesu. Act. 4. v. 12. Unde ergo proveniunt vestra indulgentiæ papales, satisfactiones, peregrinationes, & sexcenta alia nomina, in quibus potissimam fiduciam salutis vestræ ponitis? Video ergo vos Romanenses negasse Dominum, qui sanguine suo vos mercatus est, & introduxisse sectas perditionis, 2. Pet. 2. v. 1. Video vos deliciis affluere in conviviiis, oculos habere plenos adulterii, & incessabiles delicti: derelinquentes rectam viam, & secutos esse viam Balaam ex Bofor, qui mercedem iniquitatis amavit: libertatem aliis promittitis, cum ipsi sitis servi corruptionis. v. 12. Hic vero

vero ex suis Epistolis intonet: Apostasia jam est facta, & revelatus homo peccati, filius perditionis: qui aduersatur & extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur: sedet ipse in templo Dei, ostentans sese quasi esset Deus: Cujus adventus fuit secundum operationem Satanæ, in omni virtute, & signis, & prodigiis mendacibus, & in omni seductione iniquitatis iis qui pereunt. Sed Dominus Jesus interficiet eum spiritu oris sui: & destruet eum illustratione adventus sui. 2. Thess. 2. v. 3. Interim tradit eos Deus in passiones ignominie, ut masculi relicto naturali usu foemina, exarserint in desideris suis inuicem, masculi in masculos turpitudinem operantes, & mercedem erroris sui in semetipsis recipientes. Nam sicut non probaverunt Deum habere in notitia, sic tradidit Deus eos in reprobum sensum, ut faciant ea quæ non conveniunt. Rom. 1. v. 26. Discesserunt a fide, attendentes spiritibus erroris & doctrinis dæmoniorum, in hypocrisis loquentium mendacium, prohibentium nubere, abstinere a cibis, quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, & iis qui cognoverunt veritatem. 1. Tim. 4. v. 1. Non sic didicistis Christum: si modo illum audistis, & in ipso edocti estis, sicut est veritas in Jesu. Eph. 4. v. 20. Ecce ego Paulus dico vobis, evacuati estis à Christo, qui lege justificamini: à gratia excidistis. Gal. 5. v. 4. Ego enim dum vobiscum fui non judicavi me scire aliquid, nisi Jesum Christum, & hunc crucifixum. 1. Cor. 2. v. 2. Et adhuc hodie absit à me gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, in quo nihil valet præterquam nova creatura. Gal. 6. v. 14. Hæc & similia proponant illi duo Divorum coryphæi Romanensibus nostris, & videant, utrum alter lignum crucis vel rogi, alter vero securum vel gladium effugere possint.

Sed sic implent mensuram patrum suorum, ut etiam ab ipsis requiratur sanguis omnium prophetarum, qui effusus est à constitutione mundi, à sanguine Abel, usque ad sanguinem Zacharie. Profecto ab hac generatione requiratur. Nam, ut pie Hieronymus super Matthæum, & Beda super Lucam, statuunt, mox in domo Adami totum genus humanum in duas generationes, unam bonam, alteram malam, & in duas quasi civitates, unam Cainitarum, alteram filiorum Dei, divisum est: Et quemadmodum pii per fidem in Christum ac sacramentum regenerationis filii Dei facti, unam eandemque, cum veteribus Patriarchis, Prophetis, Apostolis, Martyribus & electis omnibus salutis hereditatem in cælis adeunt: ita qui cum Cainitis Ecclesiam Christi & sanctos flamma, fune, ferro, sunt persecuti, rapinis, libidinibus & cædibus seipos polluerunt, ab illis, sive Judæis, sive Chananæis, sive Gentibus, sive Romanensibus fuerint, omnis ultio sanguinis innocenter effusi requiratur, & in inferno æternis poenis affligentur. Nos vero interim novimus, hunc verum esse honorem, quo Sanctos afficere possumus, non si sepulchra ipsis ædificemus: Sed si agnoscamus ipsos sancta Dei organa fuisse, ad promovendam salutem hominum, si doctrinam ipsorum audiamus, si fidem & virtutes ipsorum imitemur, atque operam demus, ut olim æternum apud Christum ipsis convivamus.

Queritur etiam quis sit ille Zacharias, de cu-

Herm. Tom. 1.

jus cæde Christus hic loquitur? Et sunt tres Doctorum sententiæ, de tribus diversis personis. 1. Legimus 2. Par. 24. v. 20. de Zacharia Ioiadæ filio sacerdote, qui cum populum in legem Dei delinquentem Spiritu Dei actus reprehenderet, ab eodem ad imperium regis Joæ, lapidibus obrutus est; idque in atrio domus Domini: quod convenit cum hisce Christi verbis, qui perit inter altare & eadem. Altare enim stabat in atrio ante introitum templi. Et hic ipse Zacharias ultionem sui sanguinis à Deo petit: Nam moriens dixit: Videat Dominus & requirat. Sed huic sententiæ obstare videtur illud, quod in Matthæo Christus dicit: hunc Zachariam fuisse filium Barachie: in Chronicis vero dicitur filius Ioiadæ: Sed divinant alii Ioiadam fuisse binominem: sicut id etiam pluribus Judæorum olim accidit. 2. Sunt ergo alii, qui existimant intelligendum esse Zachariam illum, qui unus fuit ex minoribus Prophetis: qui ipse in libro suarum prophetiarum cap. 1. vers. 1. testatur, se fuisse filium Barachie, nepotem Addo sacerdotis, quem Nehemias cum Zorobabele ex Babylone ascendisse testatur cap. 12. v. 4. Licet vero de hujus cæde in sacris nihil annotatum sit, putant tamen aliqui, ipsum quoque à Judæis in sacro illo occisum esse. Etsi enim Judæi initio ipsius conciones humaniter sustinuerint, dum scilicet lætis vaticiniis & concionibus eos sublevavit: postea tamen cum templo jam ædificato corruptissimos ipsorum mores liberius accusaret, ultimatam mercedem ipsi numerarunt, & crudeliter inter media sacra trucidarunt. Hæc sententia si vera esse comprobari possit, magnam auctoritatem addet vaticiniis Zacharie: quia idem & Propheta & Sacerdos, & Martyr fuisset. 3. Origenes Hom. 26. in Matthæum: & Basiliius in sermone de natiuitate Christi referunt, antiquam esse traditionem, quod Zacharias Johannis Baptistæ pater, cum Mariam matrem Domini post partum in virginum locum ascriptisset, à Judæis occisus sit inter templum & altare, accusatus à populo, velut per hoc confirmans admirabile illud & decantatum signum: Virginem qua genuit, & virginitate non corrumpit. Sic ergo nos habemus diversos Zacharias, de quibus verba Christi intelligi possunt. Ego vero statuo, citra fidei & salutis dispendium fieri, de quocunque ex his tribus quis verba Christi suscipiat. Hoc enim certum est, Christum his Legis peritis ejusmodi Zachariam nominasse, de cujus cæde ipsis omnibus constiterit, & simul impiam ipsorum crudelitatem ipsis ob oculos ponere voluisse, quod nec templi, nec sacrorum religio ipsos continere potuerit, ut sibi ab innoxii illius sanguinis effusione temperarent.

Possumus ex hoc sexto membro, quod Christus in convivio illo Pharisaico tractat, etiam alia doctrinae proponi: utpote 1. de vocatione ministrorum verbi, qui non ipsi currunt, sed à sapientia Dei mittuntur. Et quos Deus ita mittit, eos etiam necessariis donis doctrinae, morum & patientiæ instruit. 2. De ingratitude & crudelitate mundi, qui nuncios Dei, salutis suæ causa ad se missos, cane, angueque pejus odit, persequitur, occidit. Id quod totius mundi historia testatur. 3. De inexhausta Dei bonitate, qui extremam illam mundi ingratitude non se absterere non-

Fffff 2

dum

dum passus est, quō minus semper prioribus occisus, novos veritatis testes & pracones miserit, mittat, & missurus sit ad finem mundi usque, ut electos suos ex interitu eripiat, & mundum poenitere nescium inexcusabilem reddat. 4. De vera causa excidii urbium & integrarum gentium, qua nulla certior est, quam contemptus verbi divini, persecutio Evangelii Christi, & caedes syncerorum Ecclesiae doctorum. Confirmat hoc exemplum populi Judaici. Sed de his doctrinis copiosius dicendi alibi occasio praebetur: hic res obiter notasse sufficiat. Nos ad finem hujus convivii properemus.

VII. Ultimo loco ipsis objicit Christus extremam tyrannidem & animarum carnificinam, qua regnum Dei ita occludant, ut nec ipsi illud ingrediantur, nec alios, ingredi volentes, intromittant. *Pe,* inquit, *vobis Legis peritis, quia tulistis clavem scientiae, ipsi non introistis, & eos qui introibant vetistis.* Collatio Lucae cum Matth. 23. v. 13. totum locum pleniorē reddit. Loquitur de regno caelorum, quod ipse tanquam verus caeli rex, ex nutu caelestis sui patris instituit. Hoc magnifico alicui palatio, in quo complura sunt conclavia, rebus preciosissimus, utpote remissione peccatorum, gratia Dei, justitia & salute aeterna, referta. Haec vero nemini profunt, nisi janua referatur, conclavia aperiuntur, thesauri proferantur. At qui Adami lapsus hasce fores omnibus hominibus praeclosit, neq; quisquam hominum natura nunc regnum caelorum aperire, illudq; intrare potest. Solus Jesus Christus, sanctus & verus, qui habet clavem David, id praestare valet, is aperit, & nemo claudit, is claudit & nemo aperit. Apoc. 3. v. 7. Habet tamen hic dominus hujus regni suos oeconomos, quibus & ipsis tradit hanc potestatem thesauros istos dispensandi, eos promendi & condendi, prout opus est. Sicuti haec Metaphora scriptura utitur. Esa. 22. v. 22. Matth. 16. v. 19. 1. Cor. 4. v. 1. Inter alias igitur claves, dicit Christus, esse etiam *clavem scientiae*, & per illam intelligit jus docendi, sive praedicandi verbum Dei, per quam mysteria regni Dei referantur & hominibus aperiuntur, ut videant & intelligant, quomodo justitiam & salutem consequi possint. De hac clave sive potestate Christus Legis peritis tria crimina tribuit. 1. *clavem scientiae tulistis.* *Ai qv tollere duobus modis dicitur: Vel enim tollimus aliquid in nostrum usum: vel tollimus ita, ut ab aliis auferamus.* Utroque modo legis periti sustulerunt clavem scientiae. Sibi enim solis arrogabant jus docendi; se solos in Cathedra Moysi sedere gloria bantur, reliquos autem omnes excludebant. Et hoc ipsum officium administrabant non ad populi utilitatem & salutem, sed in suum quaestum. Sic ergo non absq; sacrilegio ad se rapuerunt clavem cognitionis. 2. Alterum est: *ipsi non introistis in regnum Dei.* Ipsi exprobat, eos nulla salutis suae cura tangi. Et cum bono exemplo aliis in fide, in charitate, in pietate & tota conversatione praere debent, ipsos Epicuraeorum & Saducaeorum more potius de corpore saginando, quam de anima ad caelos adducenda sollicitos esse. 3. Tertium: *& eos, qui introibant, vetistis.* Hoc variis modis fecerunt. Dum legem Dei non dextre explicaverunt: dum eandem suis traditionibus & quaestuo-

sis ceremoniis obruerunt: dum finem Legis, qui est Christus, nemini monstrarunt, imo hujus Evangelio nullum locum dare voluerunt. Maxime omnium autem ostium ad regnum Dei occluserunt, dum aperta vi doctrinam Christi, quae sola homines sequaces ad salutem adducit, oppugnabant, tyrannide & excommunicationibus suis (Johan. 9. vers. 22.) homines a Christo absterrebant, eo denique rem adducebant, ut etiam principes, qui in ipsum credebant, fidem tamen suam profiteri non auderent, ne & ipsi excommunicarentur. Johan. 12. v. 42. Fuerunt ergo non uno sed multiplici nomine sacrilegi, fures & latrones, ac proinde digni, quibus Dominus horrendum hoc *ve* denunciaret.

Hic vero attendendum, quam egregie rursus mores Pharisaeorum nostri seculi depingantur. Nam & nos horum trium criminum Pontificem Romanum cum suis creaturis teum agere possumus. 1. *Sustulerunt clavem scientiae.* Pontifex cum suis Praelatis solus vult habere jus legendi, tractandi ac interpretandi scripturas: solus in scrinio pectoris sui reconditam habere scientiam explicandi verbum Dei & articulos fidei: solus cum suis Cardinalibus & Episcopis pro suo arbitrio vult regere & judicare totam Ecclesiam: & qui non chrismatum cum caractere bestiae potestatem in Ecclesia docendi accipit, illum ex se cucurrisse clamant: solus vult esse (Jesuitis ipsius assentatoribus sic concludentibus) univ. falis iudex omnium controversiarum: solus in sua potestate vult habere claves solvendi & ligandi quacunque velit in caelo, in terra & in purgatorio. Unde etiam, quem admodum alii principes hujus seculi familiae suae insignia habent in suis sigillis: ita ipse ex satanica superbia duas claves cum triplici corona asservat, qua olim redimitus in inferno luculenter ardebat. Interim 2. *ipsi non introeunt in regnum caelorum:* non curant veram pietatem, non sunt solliciti de animae suae salute, ut vitae aeternae participes reddantur. Et quomodo de hac solliciti essent, cum constet ex historiis, plerosque de corporum resurrectione, de animarum immortalitate, & an post hanc alia vita superfit, dubitare? Unde & multorum animae, ut Staphyli, Pistorii & aliorum desperandae cum gemitu & fremitu fugiunt indignatae sub umbras. 3. Et quod omnium pessimum atque maxime detestandum est, *eos, qui introire conantur, vetant.* Cum superiori seculo, ex singulari Dei gratia lux Evangelii in his Saxoniae oris jubar suum proferre coepisset, bone Deus, quam horrendum meretrix illa Babylonica tumultuata est! Misit legatos a latere, & minacibus edictis sub excommunicatione principes terruit, ne reformationem Ecclesiarum instituerent. Non esse ipsorum officii Ecclesias reformare, ad Pontificem & Episcopum illud pertinere: expectare ipsos debere oecumenici alicujus concilii determinationem. Et sane Concilium indixerunt, illudque vel tandem Tridenti consummarunt. Sed quis ibi praefedit? Pontificis mancipia, qui prius in ipsius verba jurarunt. Quam controversiam religionis determinarunt? Veteres errores constabiliverunt, sanam doctrinam in scripturis comprehensam damnarunt. Et Jesuitae adhuc hodie

hodie toti in eo sunt, ut captiosis suis disputationibus simplicem & planam Evangelii doctrinam intricatam reddant: Christianis lectione Bibliorum, maxime in lingua sibi familiari, interdunt, omnem lapidem movent, ut synceri Ecclesiae ministri ex stationibus suis ejiciantur; sicque hominibus ostium ocludunt, ne ad agnitionem veritatis perveniant & regnum DEI ingrediantur. Eas nunc & dicas, Christum nos non praevenisse, ut ab hisce seductoribus & lycanthropis novissimi seculi nobis caveamus.

Interim synceriores Evangelii Doctores, quibus *clavis sententiae* legitime est concedita & commendata. 1. dent operam, ut suos auditores ad unicum Jesum Christum adducant, hunc unum praedicent. Nam si Christum nescis, nihil est si caetera discis. Hic enim solus nobis janua caeli rursus aperuit, ut per ipsum accessum nobis pateat ad Patrem & aeternam salutem. 2. Dent etiam operam ut salutis viam ipsi primi ingrediantur, sicque oves suas praecedant. Sint exemplaria gregis 1. Petr. 5. v. 3. in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate. 1. Tim. 4. v. 12. Magna est vis exemplorum in utramque partem, ut nimis verum sit illud tritum:

*Quicquid vident Laici vobis displicere,
Dicunt procul dubio, sibi non licere:*

*Et quicquid vos vident opere adimplerere,
Credunt esse licitum & culpa cavere.*

Quapropter doctrinam, quam proponunt, studeant ipsi praestare: ne dum alius praedicant, ipsi reprobi inveniantur. 1. Corinth. 9. v. ult. 3. Caveant denique, ne cuiquam scandalum ponant, & sic eos, qui jam viam salutis ingressi erant, rursus ab ea repellant. Quam horrendum enim va Christus talibus denunciaret, supra ex 18. cap. Matt. audivimus.

Hac Christus Pharisaïs, Scribis & Legisperitis in convivio illo privatim proposuit: licet subamara fuerint, tamen si admissent, salutiferum pharmacum fuissent, sicque symbolum suo hosti fatis liberaliter persolvisset. Verum quia, ut audimus, rejecerunt, nec se ex hisce admonitionibus emendarunt, postea Matthaei 23, publice Hierosolymis in templo eadem pluribus repetet. Hic tamen ex exemplo Christi videmus, qua *παρηγορία* & libertate verbi ministri in arguendis peccatis populi, sine personarum respectu uti debeant. Sunt enim legati Dei, qui per ipsos omnes homines exhortatur, ut reconcilientur Deo. 2. Cor. 4. v. 20. Ut ergo omnes homines Deo obedientiam debent: ita etiam omnes ipsius verbo sunt subiecti. Hic si ministro suo mandaverit, ut peccatori iram suam denunciaret, qua conscientia ille tacebit? Dominus Deus locutus est, quis non prophetabit? Amos 3. v. 8. Praesertim cum Deus minitatus sit, se sanguinem eorum, qui incuria ministrorum pereunt, de manu ipsorum reposcere velle. Ezech. 3. v. 18. & 33. v. 8. Haec consideratio Moïsem adeo animosum reddidit, ut se potentissimo Regi Pharaoni & toti ipsius regno opposuerit: Jonam, ut Ninivitis exitum minitatus fuerit: Ieremiam, ut vir rixarum & discordia in universa terra audire maluerit, quam verbum Dei transgredi. Jerem. 17. vers. 10. Johannem Baptistam, ut Herodi in os dixerit, ipsum pecca-

Harm. Tom. I.

re conjugem fratris secum habendo. Apostolos ut primores Judaeorum Christicidii publice accularint. Actor. 3. vers. 17. Hos imitentur fideles verbi ministri, ubi necessitas & scelerati hominum mores id postularint. Increpent autem cum omni patientia & doctrina. 1. Timoth. 4. vers. 2. ut errantes suam salutem non confusionem, quaeri animadvertant. Id si fideliter fecerint, ubi non plus profecerint, suas tamen animas liberabunt.

Sed tempus est ut audiamus quis fuerit exitus hujus convivii, videtur is fuisse valde turbulentus & tumultuarius. Postquam enim Christus detexisset vitia tritum istorum ordinum, Pharisaorum, Scribarum & Legisperitorum, usque adeo non de emendatione cogitant, ut deteriores facti, omnes suas vires & copias conjunxerint, quo Christum oppugnarent & perderent: Graphice autem describit Evangelista, quam valide & constanter sese Christo opposuerint. *Capereunt*, 1. *δενῶς ἐνέχεν* graviter insistere & ei imminere. Nam *ἐνέχεν* Marc. 6. v. 19. de Herodiade quoque ita usurpatur, quod significet summam offensionem, qua faciat, ut quis omnem capret occasionem, quibus alteri noceat. Lutherus hic reddidit, *harr auf ihn dringen*. 2. *δοκίματιέν* captiose interrogare. Licet *δοκίματιέν* proprie significet aliquid memoriter recitare & ore suo pronunciare: recte tamen hic versum est: Nam omnes circumstantiae ostendunt, conatos fuisse Pharisaos, multis & variis quaestionibus propositis, varia ab ipsius ore responsa elicere: sperantes futurum, ut vel minus considerate, vel nimis libere aliquid proferret, ex quo eum accusandi occasionem habere possent. 3. Fecerunt id *πλεῖστον*, de multis. Nam & copia & multitudine pugnare voluerunt. 4. Adhac *ἐνεδούοντες αὐτὸν* insidiantes ei. Habent enim Sophistae sua latibula in verbis, ex quibus profiliunt ad cavillandum & reprehendendum. 5. *ζητῶντες θηρεύσαι* querentes venari seu potius cupide venantes aliquid ex ore ejus. Hic explicatur verbum *δοκίματιέν*. Cum enim ipsi veris argumentis destituerentur, ficta colligere studuerunt eaque ex ore Christi. Nisi enim Christus prior diceret, illi nullam dicendi materiam haberent. 6. Finis horum omnium est, *ἵνα κατηγορήσωσι αὐτῶν*, ut accusarent ipsum. *κατηγορία* haec complectebatur & privatam delationem ad superiores, & publicam actionem coram populo: ut ipsum privatim delatum publice condemnarent coram populo, tanquam hominem seditiosum & legis corruptorem.

Habemus hic ideam colloquii alicujus vel disputationis vel colloquii cum Jesuitis & Sophistis Pontificiis. Initio blande admodum comiter & humaniter nostros excipere & tractare velle videntur: sicuti hic Pharisaus Christum convivio excepit. Ita ut quis sperare possit, futurum, ut omnia modeste & moderate peragantur. Sed quamprimum illorum errores & superstitiones redarguantur, & liberiori aliqua vocula ipsi irritantur: mox clamoribus, cavillationibus, sophisticationibus, sarcasmis agere incipiunt: variis quoque & diversis quaestionibus adversarios fatigant, & a scopo abducere conantur: adhuc non abstant a verbis contumeliosis & injuriarum

Fffff 3 plenis

plenis, an antagonista inconsideratius aliquid proloquiverit, ex quo occasionem habeant, ipsum traducendi. Inspice Acta Colloquii Ratisponensis, considera in iis clamores & cachinnos Tanneri scurræ, tergiversationes Gretseri, insidiosas & captiosas quasiunculas Hungeri, & deprehendes Jesuitas cum perpetua nominis sui ignominia iisdem machinis nostros Theologos oppugnasse, quibus hic Pharisei Christum. Inspice etiam Acta Colloquii Badensis, in quo impius & desperatus Pistorius levissimis suis sophisticationibus syncerioris doctrinæ Theologos tam diu elusit & exagitavit, donec absque omni fructu turbulentus Colloquii secutus est exitus. Interim Phariseus male tutatus est boni hospitis partes. Invitaverat Jesum ad prandium sub amicitia specie. Jam cum totus convivarum cœtus uno ore in Jesum impetum facit, ipse tanquam hospes motum sedare debuisset. Id quoniam non fecit, nihilo reliquis convivis ipsum meliorem fuisse certum est. Quis ergo Jesum in turbis istis defendit? ipse se ipsum. Divina enim sua virtute ipse totum impetum cohibuit, ne ad manus venirent, sed solis quaestionibus rem agerent. Mox tamen populus etiam superavenit, cujus respectu Pharisei semper moderatius egerunt, quia non ignorabant, populum hæere ex ipsius ore.

Hic vero non immerito quis quærat: quandoquidem tanta tum temporis fuerit Antifitium in populo Dei corruptio, hypocrisis & comitas, ita ut etiam clavis cognitionis fuerit sublata, ubi tunc fuerit vera Ecclesia? Respondeo. Equidem Pontifices, Scribæ, Pharisei, Legisperiti, & primores populi se pro Ecclesia venditarunt: verum sicut interdum modicus pugillus granorum sub magno acervo palarum latitat, ita etiam tum temporis sancti Dei electi, Zacharias, Elizabetha, Simeon, Hanna, Josephus, Maria, duodecim Apostoli, septuaginta discipuli, Nicodemus, Josephus Arimathæus, veræ Ecclesiæ reliquiæ, sub quisquiliis illis Judaicis sese utunque sustentarunt. Neque enim vera Ecclesia semper

est speciosa, & passim in hominum oculos incurrit, sed interdum ad exiguum numerum coarctatur. Sicuti tempore Noachi tota Ecclesia in arca habitavit. Et tamen Deus sibi seminarium Ecclesiæ reservavit. In deserto tota congregatio Israelitarum ad idolomaniam vituli defecit: & tamen redeunte ad ipsos Mose, mox filii Levi ad ipsum pro Jehova sunt congregati. Exod. 32. v. 26. Tempore Elia ipse solus supermansisse videbatur. Et tamen Deus septem millia sua sibi reservavit. 1. Reg. 19. v. 18. Tempore Jesaiæ ipse propheta solus cum suis discipulis in signum & portentum in Israele superesse visus fuerunt: Jof. 3. v. 18. & tamen Deus conservavit suam Ecclesiam. Et si enim est numerus Israelis tanquam arena maris: tamen reliquiæ tantum convertuntur & salva fiunt. Jof. 10. vers. 22. & Roman. 9. v. 27. Hoc κατὰ μέρος & hæc reliquiæ, si maxime hominum oculos fugiant: Deus tamen eas in toto acervo peccatorum occultatas videt. Nam, ut inquit Paulus 2. Timoth. 2. vers. 19. firmum stat fundamentum Dei, habens signaculum hoc: novit Dominus qui sint ejus. Quæso quodnam est hoc signaculum ex quo Dominus novit suos? num laræ tymbriæ scribarum? num phylacteria Phariseorum? Nequaquam. Num ergo quadrati pilei Jesuitarum? aut triplex corona Papæ? cum galero cardinalitio? Non. Num ergo cucullus monasticus? aut tonsa & uncta corona sacrificuli? Apage cum istis nugis. Hæc sunt signacula Antichristi. Christi Ecclesia aliam habet notam & aliud signaculum, hoc: quod discedit ab iniquitate (ab erroribus, superstitionibus & impietate) omnis qui nominat nomen Christi. Hoc modo Christus etiam vidit suam Ecclesiam & cognovit suos in mediis tenebris Papatus, ubi semper testes & præcones veritatis sunt inventi, qui errores Papatus arguerunt, & fidem in unicum Jesum Christum constanter urserunt. Non ergo desinit Ecclesia Christi esse, si maxime fiant fex mundi antitistites, qui lux, lex, esse debebant. Deus enim vel ex lapidibus sibi filios excitare potest.

CAPUT CX.

CONTINENS NOVAM ET SATIS PROLIXAM CON-
 CIONEM CHRISTI AD DISCIPULOS ET AD POPULUM, DE CAVEN-
 DA HYPOCRISI: DE NON METUENDA MORTE CORPORIS: DE FU-
 GIENDA AVARITIA: DE FIDELITATE SUORUM MINISTRORUM: ET
 DE AGNOSCENDO TEMPORE ADVENTUS MESSIÆ.

LUC. 12. v. 1.

RATIO ORDINIS.

Evangelista ipse continuum ordinem cum superioribus indicat, dum duodecimum suum caput cum præcedenti connectit his verbis: *ἐν οἷς, in his, sive interea.* Est enim Elliptica oratio, & subintelligendum *ἐν οἷς χρόνους* vel *λόγους*, vel simile quippiam. Circumstantia itaque hunc in modum vel in similem sunt colligendæ. Convivium habitum est in ædibus

Pharisei. Ibi affuere etiam Apostoli, tanquam individui Domini comites. Si non ut convivæ, saltem ut ministri. Populus interea soluta synogoga, & ipse pransus est. Quia vero jam assuetus erat, quod Dominus in Sabato etiam à meridie, vel in ædibus privatis vel in plateis, vel alibi, ubi commodum locum habere poterat, docere soleret. Ideo finito prandio sensim se circa domum Pharisei, in quam